DE PRINCIPIIS
Cognitionis Fundamentalibus.

DISSERTATIO,
quam
ad philosophiae doctoris gradum
obtinendum
universitati Fribourgensi Helvetiorum
proponebat:

GABRIEL KOSTELNYK.

Leopoli 1913.
В друкарні „Діла“, Львів, Ринок ч. 10. (Дім „Просьвіти“).

DE PRINCIPIIS
Cognitionis Fundamentalibus.

DISSERTATIO,
quam
ad philosophiae doctoris gradum
obtinendum
universitati Friburgensi Helvetiorum
proponebat:

GABRIEL KOSTELNYK.

Leopoli 1913.
З друкарні „Діла“, Львів, Ринок ч. 10. (Дім „Просьвіти“).

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO

ANDREAE comiti SZEPTYCKI

ARCHIEPISCOPO GR. CATH. LEOPOLENSI ETC. ETC.

BENEFACTORI MEO MAGNANIMO HOC JUVENIUM VIRIUM OPUS GRATUS DEDICO.

Argumentum.

ERRATA CORRIGE:

Pagina:	Versiculo:	Loco:	Lege:
1	6	pricipia	principia
3	16	quibur	quibus
9	21	odemque	eodemque
21	22	iliudque	illudque
25	14	expectare	exspectare
25	28	eficeret	efliceret
27	1S—19	secundum „non sine etc.“	secundum „propter hoc“, sed solum secundum „non sine etc.“
28	4	repetiti-	repet tis
28	5	vis	vi-
30	37	Atqua	Atque
35	7	occurunt	occurrunt
36	31	cognifione	cognitione
42	6	al ud	aliud
43	24	etweder	entweder
43	27	widestreitende	widerstreitende
44	12	intullectui	intellectui
47	22	criiicam	criticam
47	(in nota)	iliis	aliis
48	1	sensifiva	sensitiva
48	2	phaenomnna	phaenomena
49	25	conoscens	cognoscens
49	34	faculsas	facultas
52	11	contradictiora	contradictoria
54	36	inrellectus	intellectus

Pagina:	Versiculo:	Loco:	Lege:
56	7	nunqam	nunquam
56	27	quod	quoad
57	8	ge	de
58	30	phenomena	phaenomena
60	21	conditiona is	conditionatis
61	18	compu aremus	computaremus
63	4	eiiam	etiam
63	4	incomprehensibibilis	incomprehensibilis
67	31	avent	favent
67	31	fsane	sane
67	35	— sandum	— gandum
74	12	2	3
74	26	af rmarimus	affirmarimus
75	18	3	4
76	30	princium	principium
79	12—13	cog-nitione	co-gnitione
79	13	re lexione	reflexione

Prolegomenon.

In cognitione nostra — sine dubio — gravissima sunt ea, que principia sunt cognitionis. In principiis enim — ut in semine tota cognitionis nostrae natura latet. Quare cognoscere naturam principiorum sc. patefacere ea, quae in principiis occulto modo continentur, i. e. prosequi processum, quo pricipia in naturam totius cognitionis intrant, nihil aliud significabit quam cognoscere naturam ipsius cognitionis humanae (quamquam solum certo ex aspectu).

Natura enim cujuscunque rei tunc scitur, quando processus ejusdem ab ultimis usque ad primas cognoscitur causas — testante Aristotele: „tunc (enim) putamus unumquodque cognoscere, quum causas primas noverimus et principia prima et usque ad elementa". [1])

Sed principia cognitionis humanae non omnia ejusdem generis. Sunt enim principia, per quae acquirimus materiam cognitionis (utpote: sensus); tum quibus hanc materiam reddimus intellectualem (quae ideae et conceptus sunt); tum ad quae materiam intellectualem jam factam judicamus (principia cognitionis simpliciter appellata).

Nos solum de his ultimis disserere intendimus. Dantur sc. aliquae veritates omnino primariae, quibus intellectus in omni judicio suo i. e. componens vel

---

[1]) Natur. auscult. L. I. c. I. (1) — Editio: Firmin-Didot, Parisiis 1883.)

dividens notiones nititur. Quam intellectus operationem s. Thomas ita determinat: „duplex est operatio intellectus: una, qua cognoscit quod quid est, quae vocatur indivisibilium intelligentia; alia qua componit et dividit; in utroque casu est aliquod primum: in prima quidem operatione est aliquod primum, quod cadit in conceptione intellectus sc. hoc, quod dico: ens; nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur ens. Et quia hoc principium: impossibile est esse et non esse simul, dependet ex intellectu entis—ideo hoc etiam principium est naturaliter primum in secunda operatione intellectus sc. componentis et dividentis. Nec aliquis potest secundum hanc operationem intellectus aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto[1])“.

Intentio nostra est: prosequi principia hujus intellectus componentis et dividentis sc. quae qualiaque? cujus valoris sint: quomodo cognoscantur? quomodo referantur ad invicem? quomodo in organismum cognitionis nostrae intrent? quae radix eorum? etc.

Temporibus nostris hae quaestiones gravissimae sunt, cum falsissimae opiniones de cognitione humana (de origine, vi, valore ejus etc.) a die in diem magis diffundantur.

Intentio nostra est, ut principiorum naturam, prout illa aliquid in se totum est, comperimus. Dum tamen reflectimus in aliquam rem, ut aliquid totum est, non possumus simul insistere in partibus ejus. Partes hoc in casu agnoscuntur solum in tantum, in quantum totum constituunt. Quare et nos ea, quae in principiis — ut in radice — conveniunt, non inquiremus, nisi quantum ad totam principiorum naturam intelligendam necessarium erit. (Quo modo — nimirum — multa et quidem pro cognitione humana gravissimi momenti problemata vel prorsus intacta vel indicata tantum relinquere cogemur. Secus scribendum esset opus, quod dissertationis nostrae limites continere non possent).

---

[1]) Com. in Metaph. Arist. in lib. IV. lect. VI. (Parmae 1866.)

I.

DE CONDITIONIBUS, NUMERO ET FORMIS PRINCIPIORUM.

1. Cognitio nostra — verus organismus est. Membra ejus ita connectuntur, ut alia vim suam ab aliis accipiant. Unius veritatis testis est alia. Effodi v. gr. ex terra aliquod vas pulcherrimis figuris ornatum, et judico: Hoc vas ab homine artifice factum est; quia: Hic sunt artificiosae figurae; at: Artificiosa solum artifex facere valet; etenim: Nemo dare potest, quod non habet; atque: Omne, quod est, rationem sui habere debet; etenim: Ex nihilo nihil fit.

Quod ultimum jam evidentissimum est, nec alia adhuc profundiori veritate suffulciri debet, sed nec potest.

Similiter quaevis veritas ulterior (minus generalis) praesupponit veritates profundiores (magis geneles), quibur nititur — et quas nisi sciremus, nec illam cognosceremus.

Sic in exemplo nostro non possem concludere: Hoc vas ab homine artifice factum est, si profundiores citatas veritates non agnoscerem. Talis veritas, quae per se ipsam evidentia gaudet, et hanc evidentiam aliis, minus generalibus veritatibus, impertire valet, principium est illarum veritatum, quibus vim suam tribuit. Ad rem dicit Aristoteles: „unde primum res

cognita est, illud quoque principium rei dicitur"[1]) Et denuo similiter: „Omnibus igitur principiis commune est esse primum, unde aut est aut fit aut cognoscitur"[2]).

Omnis scientia peculiaris praesupponit aliqua principia (quae etiam axiomata, dignitates nuncupantur), quibus illa nititur. Quod factum quaestionem nobis imponit: num etiam aliquae veritates, omnino fundamentales, quae totius cognitionis nostrae — omnium sc. omnino et non quarundam tantum scientiarum principia sint, existant? Sintne plures vel una tantum?

Tales veritates principia essent, κατ' ἐξοχήν. In organismo cognitionis nostrae illae anima essent: suppeditarent enim vitam et robur omni veritati seorsim et omnibus simul sumptis.

2. Si principia totius cognitionis fundamentalia revera dantur, illa debent esse veritates:

1º simplicissimae, quae in simpliciores jam resolvi non possint; tum:

2º universalissimae, quae in omnibus, quaecunque in cognitionem nostram intrant vel intrare possint, vim suam exerceant; omni veritati robur illae tribuant; denique:

3º evidentissimae, quae evidentiam suam nulli alii veritati debeant.

Quoad 1m: Si istae veritates in simpliciores resolvi nequeant, nec probari poterunt, cum probare nihil aliud sit quam resolvere aliquam veritatem in alias evidentiores.

Quoad 2m Si istae veritates universalissimae sint, absolutae esse debeant i. e. semper et ubique valere, a nulla conditione dependere.

Denique quoad 3m: Si evidentissimae, pariter notissimae sint, oportet, — ita, ut intellectus naturaliter circa illas errare non possit, sed neces-

---

[1]) Metaph. L. IV. c. I. (3)... ὅθεν γνωστὸν τὸ πρᾶγμα πρῶτον καὶ αὕτη ἀρχὴ λέγεται τοῦ πράγματος.

[2]) Ibidem (4) Πασῶν μὲν οὖν κοινὸν τῶν ἀρχῶν τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἔστιν ἢ γίγνεται ἢ γιγνώσκεται.

sario illas videat veras et necessario illis in omni judicio utatur.

Quae sint igitur istae veritates? de quō objecto agant?

Omnis veritas respicit aliquod objectum, in quo realiter verificatur, et respectu cujus a nobis concipitur. Veritas particularis (singularis) ceu objectum habet rem singularem: hanc et non aliam. Veritas autem respiciens totum aliquod genus, in speciebus et individuis (hujus generis) solum notis generis communibus verificatur. Inde patet: veritates omnia, quaecunque sunt, respicientes ceu objectum habere debere id, quod commune est omnibus, quae sunt. Tale autem est ipsum τὸ esse. In hoc enim res quaecunque conveniunt. Ad rem Aristoteles: „Omnibus vero commune est esse, elementum cujusque, quod primum cuique inest"[1]).

Cum igitur principia cognitionis fundamentalia veritates universalissimae esse debeant, illorum objectum est ipsum τὸ esse.

Quid autem primo intellectus noster judicat de τῷ esse, dum illud concipit? Esse est esse et non est non-esse. En cognitio fundamentalis in toto intellectus compotentis et dividentis ambitu. Quae tamen veritas fundamentalis — in forma proposita — adhuc cruda est (si metaphorice loqui licet); nam etiamsi totius cognitionis intellectualis centrum sit, nondum indicat illos radios cardinales, quibus in organismum cognitionis humanae diffunditur.

Tria cardinalia occurrunt in vita nostra (analogice etiam in cognitione): esse, non esse, fieri. Quibus citata veritas fundamentalis accommodata tres formas principales obtinet: prima earum formaliter respiciet τὸ esse; secunda τὸ esse et non-esse (simul sumpta); tertia denique τὸ fieri i. e. τὸ esse et non-esse successive sumpta (ubi „successive" non

---

[1]) Metaph. L. IV. c. III. (5). Ἁπάντων δὲ κοινὸν τὸ εἶναι, στοιχεῖον ἑκάστου, τὸ πρῶτον ἐνύπαρχον ἑκάστου.

semper significabit quoad tempus, verum identidem quoad naturam tantum „prius et posterius").

Inde: 1) principium identitatis, 2) contradictionis et 3) rationis sufficientis (in specie: causalitatis), quae prima vel fundamentalia principia appelantur; de quibus nos et disserere habemus.

Ne tamen in inquisitionem nostram errores facile irrepant, de singulis principiis prius quaedam memoranda sunt, ut ipsius, de qua agemus, materiae lucidum conceptum habeamus.

3. Principium identitatis — sicut et cetera principia — variis formulis exprimi potest. Ejusdem maxime consuetae formulae videntur esse: Omnis res illa ipsa est; Omne ens convertitur cum se ipso; Quidquid est, est (quid est); vel ut paradigma: A est A (A=A).

Aliqui auctores proferunt alias formulas, cum citatas (formulas) meras tautologias esse arbitrentur. Sic v. gr. Zigliara principium identitatis exprimit formula: „Omne ens est sua propria natura".[1]) Quam formulam auctor, ut saltem mihi videtur, construxit ad illam Suarezii sonantem: „Omne ens est habens essentiam"[2]).

Sed istae formulae, quamquam fecundissimae sunt (speciatim in metaphysica), non primariae, sed jam secundariae sunt expressiones principii identitatis. Non enim exprimunt illud, quod intellectus primum de omni re judicat. Istae formulae principium identitatis jam supponunt.

Principium identitatis exprimere debet primum simplicissimum judicium intellectus (principia enim procedunt ex intellectu judicante i. e. componente et dividente notiones). Cum autem omne judicium ratione certae identitatis subjecti et praedicati fiat, primum judicium intellectus non potest esse aliud quam totalis omnino identitas subjecti et praedicati,

---

[1]) Summa phil. Log. 55. VII.

[2]) Ibidem. (in Zigliara).

ubi non solum eadem res, sed etiam idem conceptus est. Sic v. gr. in mathesi veritas primaria (primum judicium) est: $1 = 1$, et non forte: $1 = \frac{1}{2} + \frac{1}{2}$; nam ut hanc veritatem comprehendam, jam scire debeo illam priorem; etenim τὸ ($\frac{1}{2}$) ratione τοῦ (1) concipitur.

Ergo veritas „primaria in genere" manifestare debet ideam respectu ipsius ideae, non autem respectu aliarum. Nisi enim cognoscam: ideam esse identicam cum se ipsa, quomodo cognoscere possem identitatem unius ideae cum alia? (In formulis autem Zigliarae et Suarezii ideae: „ens" et „natura", „ens" et „essentia" non omnino coincidunt).

Sed objiciunt aliqui: formulas principii identitatis, quas nos optimas judicavimus, meras esse tautologias. Quid enim novi comperi, si dixi: A est A? Nonne hic unum eundemque conceptum solum reduplicavi? Ergo propositio: „A est A" aequat „A" solum.[1])

Quod tamen a veritate longe abest. Nam dicendo: A e s t A, formavi verum judicium, in quo copula et praedicatum (pars „est A") reactio sunt intellectus in rem reflectentis. (Quod optime comperitur in propositione: Omnis res i l l a i p s a e s t, ubi pars „illa ipsa est" intellectus reflexionem esse patet). Pronuntiando: „A est A" plus concipio, quad verbis (signis) exprimo. Concipio enim etiam illam n e c e s s i t a t e m et v a l o r e m a b s o l u t u m judicii mei: A est A necessario, semper et ubique. Quae homini, unum solumque „A" dicenti haud manifestantur; nondum enim ullum judicium formavit.

Veritas principio identitatis concepta primarium est factum illius facultatis j u d i c a t i v a e, qua homo gaudet, animal autem caret. Ab isto judicio (facto) incipit n o v u s o r d o (sc. intellectualis), superior phaenomenorum i. e. superior ordine sensationum.

Principio identitatis nondum quidquam cognovimus de i n t e r n a natura rei,[2]) attamen fixo et deter-

---

[1]) Sic v. gr. Paulhan: La logique de la contradiction (Paris 1911) p. 25.

[2]) Formulae principii identitatis, a nobis citatae, tunc revera merae tautologiae essent, si illis i n t r i n s e c a m naturam rerum explicare vellemus. Ut v. gr. vivere est vivere; sidus est sidus etc.

minato modo cognovimus rem, prout est objectum aliquod: concepimus sc. rem ut hanc et non aliam. Isto principio distinguimus (intellectualiter) unam rem ab alia.

Principium identitatis ex natura sua semper positivum est. Asserens: A = A conceptu „A" exclusi omne, ad „A" non pertinens. Quod tamen nulla feci negatione, sed positiva affirmatione. Nihil adhuc scio de alio, quod non esset „A". De negatione in principio identitatis (ex natura ejus) nulla occurrit mentio; ideo istud principium est principium τοῦ esse, positivae affirmationis, positivae necessitatis.

4. Principium contradictionis est principium impossibilitatis, τοῦ non-esse, negationis. Conceptus negationis de illius essentia est. Principium identitatis totaliter identificat subjectum cum praedicato (A=A); principium autem contradictionis praedicatum a subjecto totaliter separat: A ‖ non A; (signum ‖ adhibeo ad exprimendum: membra „A" et „non A" nusquam in unum conventura esse). Principio identitatis, ut diximus, distinguimus unam rem ab alia. Sic v. gr. Homo (non est) lapis. „Homo" et „lapis" sibi directe non contradicunt, sed ab invicem sese excludunt essentia sua individuali.

Principio autem contradictionis distinguimus positionem alicujus rei in certo ordine realitatis a non-positione rei in eodem ordine. Contradictio semper exprimitur duobus conceptibus fundamentalibus τοῦ esse et τοῦ non-esse: affirmatione et negatione (ejusdem rei et quoad idem). Videtque intellectus: inter τὸ esse et τὸ non-esse nullum medium dari, cum τὸ esse et τὸ non-esse sese mutuo non solum excludant, sed totaliter tollant. Cognoscit praeterea intellectus: absolutam istam inter esse et non - esse repugnantiam semper valere, nec posse: non valere.

Sonaret igitur simplicissima principii contradictionis formula: Esse non est non-esse. Quae

formula revera fundamentum est omnium aliarum. Sed plane ideo, quia radix est, plures determinationes sui admittit. Sicque possumus ponere formulam magis, ut dicam, practicam: Nihil potest esse et non esse. Et dum de ordine logico agitur, formula ista adaequata est. Cum autem quam plurimae veritates (cognitionis humanae) referantur ad ordinem physicum, ubi interrupta reperitur mutatio: ubi oriuntur, quae non fuerunt, ac pereunt, quae sunt, — prolatam formulam termino „simul" munire debemus i e. formula principii contradictionis tempus respicere debet. Igitur sonabit: Nihil potest simul esse et non esse.

Ipsam hanc formulam, licet jam strictam, magis restringere possumus. Cum nempe intellectus noster res non cognoscat ita, ut uno intuitu, quaecunque de re cognosci queant, comperiat omnia, sed in omni re plures ideas inspiciat, et unam prae aliis exaggerare possit, ne sub una re variae ideae pugnent[1]), formulam principii contradictionis juvabit complere verbis: „sub uno odemque respectu". Inde strictissima formula sonabit: Nihil potest simul esse et non esse sub uno eodemque respectu. Vel: Impossibile est, ut aliquid sit et non sit sub uno eodemque respectu.

Principium contradictionis a Kantio exprimitur propositione: „Nulli rei convenit praedicatum, quod ei contradicit".[2])

Hanc formulam, quamvis certo modo principium contraditionis exprimat, nos non admittimus et quidem sequentibus ex rationibus:

a) formula Kantiana formaliter non respicit omnia judicia nostra sed solum analytica Kantiana; non re-

---

[1]) V. gr. propositiones: a) Homo est mortalis; et: b) Homo est immortalis, ambae simul verae esse possunt, attamen sub aliis aspectibus: a) ratione corporis humani, b) ratione animae. Sub eodem aspectu propositiones istae simul verae esse non possunt.

[2]) Keinem Dinge kommt ein Prädikat zu, welches ihm widerspricht. (Krit. d. r. Vernunft. Eleml. II. T. I. Abt. II. Buch. II. Hauptst. I. Abschnitt.)

spicit tempus et ea, quae in tempore sunt, nam solum pro logica valet (Kant: „gehört... bloss in die Logik")[1];

b) illa non est primaria, cum non exprimat principalem oppositionem inter τὸ esse et τὸ non-esse; sc. non exprimit, in quonam contradictio consistat, sed hoc jam supponit; et propterea

c) si quaeramus, cur, quod illa dicitur, verum sit, ad nostram formulam ut fundamentalem reccurrendum est. Quod jam s. Thomas explicavit: „Ex hoc enim, quod impossibile est esse et non esse, sequitur, quod impossibile sit contraria simul inesse eidem"[2].

Si nostram principii contradictionis formulam, utpote negativam (Impossibile est etc. Nihil potest etc.), in positivam mutemus, eruemus aliam, quae etiam seorsim statui potest ut principium distinctum ab isto contradictionis sc. principium exclusi medii vel tertii. En formula (ejus): Necessarium est, ut omnis res aut sit aut non sit (ex uno eodemque respectu); tertium, medium excluditur. Vel simpliciter: Omnis res aut est aut non est.

Quod principium in illo contradictionis omnino fundari istudque praesupponere, jam ex dictis patet. Distinctio inter duo haec principia mere formalis est. Ex principio sc. contradictionis prosilit ipsa fundamentalis inter esse et non-esse oppositio (in quantum intellectus istos conceptus in unitatem conjungere conatur, et invenit eos absolute sibi oppositos), in principio autem exclusi medii principaliter non tam ipsa oppositio expromitur quam partes ejus seorsim. V. gr. Secundum exclusi medii: Deus aut est aut non est. Secundum principium contradictionis: Deus non potest esse et non esse.

„Aut" — „aut" particulae disjunctivae sunt: ergo partes oppositionis contradictoriae eminere faciunt; „et" copulativa est; ergo partes conjungere intendit i. e. ipsam repugnantiam partium exprimit.

---

[1]) Ibidem.
[2]) Comment. in Arist. Metaph. Lect. IV. in lib. IV.

5. *Principium rat. sufficientis* oritur principiis contradictionis et identitatis, si illorum ope in τὸ fieri (vel: in dependentiam rerum geneticam) reflectimus. In τῷ fieri habemus aliquid *reale* (factum, effectum) et ante illud — nihilum (istius realis). Nunc principio contradictionis nixi istud „nihilum" cum facto reali nullo modo unire (genetice conjungere) possumus, ideoque pro facto reali (effectu) aliud factum reale (rationem, causam) cum necessitate postulamus. Quod vi principii identitatis facimus. Ex notis nempe effectus per identitatem concludimus ad notas (facultates) rationis (causae) — vel viceversa[1]. Sic v. gr. *Artificiosa* solum *artifex* facere valet. Solum ex *aliquo aliquid*; ex *nihilo nihil* sequitur; etc. Principium rat. sufficientis ex *ipsa natura* sua nullum conceptum temporis in se includit. Non est temporalis successio illud, quod principio rat. sufficientis intenditur, sed relatio: conjunctio, dependentia rerum genetica. (Quod postea probabimus).

Quidquid est, rationem (proportionatam) habet, qua est vel factum est; Quidquid (existit vel) fit per ens reale fit (existit). En potissimae principii rat. sufficientis formulae.

Principium rat. sufficientis, ubicunque aliqua relatio genetica invenitur, extenditur ad omnia. In ordine *ideali* illud est principium *cognoscendi* (formula: *Omne judicium rationem habet, cur praedicatum subjecto tribuat vel ab eo separet*)[2], in ordine autem *reali* (physico) principium *fiendi* et *essendi*, in quo ordine principium *causalitatis* specialiter appellatur.

Principium causalitatis analogice sese habet ad illud rat. sufficientis sicut et principium exclusi medii ad illud contradictionis. Principium causalitatis nempe

---

[1]) Processum istum, sat complexum, accurate prosequi — hic ad nos non pertinet.

[2]) Functio principii rat. sufficientis in ordine ideali, ut Art. Schopenhauer advertit, demum a Wolfio formaliter expressa est. (Art. Schopenhauer: Über die vierfache Wurzel etc. Editio VI. p. 18—19).

praesupponit illud rat. sufficientis, et de facto nihil aliud est quam specialis principii rat. sufficientis expressio. Nascitur principium causalitatis, si principii contradictionis et identitatis ope in τῷ fieri reflectimus.

Res, quae fit, quae producitur, — effectus est. Res, quae producit per quam, qua etc. aliquid producitur, — causa est. Formula exprimens relationem inter duas tales res sonat:

Omnis effectus habet (praesupponit) causam sui (proportionatam); vel: Omnis effectus procedit a causa reali.

Principium identitatis appellavimus principium positivae necessitatis, principium contradictionis (appellavimus) impossibilitatis (vel: necessitatis negativae), principium autem rat. sufficientis (causalitatis), si a ratione (causa) ad rationatum (effectum) spectamus, principium possibilitatis appellare possumus (sc. causa potest producere effectum; ex causa potest sequi effectus); verum si ab effectu ad causam spectamus, principium rat. sufficientis etiam principium positivae necessitatis est (sc. si datur effectus, necessario etiam causa ejusdem datur).

6. Tria enumerata principia (axiomata) cognitionis fundamentalia sunt, nec dantur plura iis aequalia. Nulla enim invenitur veritas, cui principia evidentiam suam deberent, omnes autem ceterae veritates vim suam a principiis obtinent. Nihil ceterarum veritatum in principiis contentum est, principia autem in quavis veritate continentur, quavis affirmantur.

Ex ordine principia currunt, ut etiam prosecuti sumus ea: 1) principium identitatis, 2) contradictionis et 3) rationis sufficientis; omne praecedens continetur in sequenti, sed non etiam viceversa.

Tria ista principia simplicissima, evidentissima, universalissima indemonstrabiliaque esse — facile constat. Omnes autem aliae veritates, si non aliis, saltem principiis demonstrari possunt. Nec unum principium

negari potest, quin omnes veritates, imo etiam tota cognitio intellectualis, corruant.

Haec praenotata, ni fallor, sufficient, ut, quae hucusquae summario modo protulimus, nunc penitius discutiamus.

II.

DE PRINCIPIORUM OBJECTIVO VALORE ET NECESSITATE.

1. Necessitas principiorum praeprimis significat: veritatem principiis expressam a nulla conditione dependere, nulla conditione mutari posse. Omne ens, quodcunque et ubicunque fuit vel est vel erit, principia exsequi debet, subordinatur principiis. (Hic igitur de necessitate principiorum o b j e c t i v a agetur).

Porro necessitas principiorum etiam sic intelligi potest, ut absque principiis intellectus nullum judicium formare, nullam veritatem concipere queat. (Hic de necessitate principiorum l o g i c o - p s y c h o l o g i c a agetur).

Nostrum est uberius inquirere utramque sc. tam objectivam quam logico-psychologicam principiorum necessitatem. Tractantes autem de valore principiorum objectivo in disputationes ontologico-cosmologicas non incurrentes magis cognitionem ipsam quam facta realia intuebimur. (Naturam enim intellectus judicantis patefacere volumus, non autem naturam rerum). Quare non argumentabimur: facta realia dari, principiis subordinari etc. — sed: si dantur, principiis necessario subordinantur. Praeprimis autem proponere volumus doctrinam illius, qui primus philosophorum de principiis (intellectus judicantis) tractavit, sc. Aristotelis, quam (doctrinam) et nostram facimus.

2. Ex principiis (demonstrativis, ut ea ipse appellat) exquisitissimo modo tractavit Aristoteles de principio contradictionis. Determinavit illud tam perfecte, ut ne hodie quidem aliquid addere possimus. Formula ejusdem principii, quam optimam judicavimus (disserentes de formulis), ab ipso Aristotele primo prolata est. „Idem simul inesse et non inesse eidem et secundum idem, impossibile est.“[1]) Similiter: „impossibile est in eodem simul esse et non esse“.[2])

Hoc omnium principiorum c e r t i s s i m u m[3]); idemque s u p r e m u m: „Quare omnes, qui demonstrant, ad hanc ultimam opinionem reducunt. Natura enim haec ceterarum quoque axiomatum omnium principium est“.[4]) Si axioma hoc non est verum, tunc prorsus nulla est veritas: „Simpliciter autem, si hoc, quod ab eo (sc. Heraclito) dicitur, verum est, nec hoc ipsum verum erit: scilicet (inquam) quod contingit idem secundum unum et idem tempus esse et non esse“[5]).

Inter contradictoria n u l l u m m e d i u m invenitur: „nec inter contradictionem possibile est quicquam medium esse, sed n e c e s s e e s t d i c e r e a u t n e g a r e u n u m q u o d q u e d e u n o“[6]) (Ut patet: propositio ista formulam principii e x c l u s i m e d i i — certo modo exprimit). Igitur „necesse est: alteram contradictionis partem veram esse“[7]) Ad cosmologicas disputationes Heracliti et aliorum respondet Aristoteles:

---

[1]) **Metaph. L. III. c: III. (8)**: *Τὸ γὰρ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό.*

[2]) **Metaph. L. III. c. IV. (1)**: *ἀδυνάτου ὄντος ἅμα εἶναι καὶ μὴ εἶναι.*

[3]) **Ibidem (2).**

[4]) **Ibid. (9)**: *Διὸ πάντες οἱ ἀποδεικνύντες εἰς ταύτην ἀνάγουσιν ἐσχάτην δόξαν· φύσει γὰρ ἀρχὴ καὶ τῶν ἄλλων ἀξιωμάτων αὕτη πάντων.*

[5]) **Ibid. L. X. c. V. (9).**

[6]) **Ibid. L. III. c. VII. (1)**: *οὐδέ μεταξὺ ἀντιφάσεως ἐνδέχεται εἶναι οὐθέν, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ ἀποφάναι ἓν καθ' ἑνὸς ὁτιοῦν.*

[7]) **Metaph. L. III. c. VIII. (3)**: *ἀνάγκη γὰρ τῆς ἀντιφάσεως θάτερον εἶναι μόριον ἀληθές.*

„Potentia contingit: simul idem contraria esse, actu minime."[1])

Cognitio principii identitatis explicita formalisque Aristotelem latebat. Simplicissimum principium hoc, plane ideo quia simplicissimum, multo difficilius illo contradictionis expresse animadvertitur. Pulcherrime notat ipsemet Aristoteles: „Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea, quae manifestissima omnium sunt".[2]) Implicite tamen Aristoteles vim principii identitatis apprehendit, sicut pluribus ex locis constat. V. gr. „Non enim secundum accidens unum est unum esse et ipsum unum. Item si aliud erit, in infinitum procedet. Etenim hoc quidem erit quid erat esse unius; illud vero ipsum unum; quare de illis quoque eadem ratio erit. Quod igitur de primis, et quae per se dicuntur, unumquodque esse, et unumquodque, idem et unum est, patet".[3]) (Aristoteles hic — sicut et generatim in libro metaphysicorum — magis res quam ipsam cognitionem intuetur).

Principium rat. sufficientis — attamen in specie illius (principii) causalitatis — ab Aristotele expresse cognoscitur, quin tamen ab ipso principium appelletur. Potissimae formulae principii causalitatis, ab Aristotele inventae, sunt: „Omnia (vero), quae fiunt, et ab aliquo et ex aliquo ac aliquid fiunt"[4]); „Omne, quod fit, ex aliquo fit, aliquid et ab aliquo fit: et hoc spe-

---

[1]) Ibid. c. V: (4): δυνάμει μὲν γὰρ ἐνδέχεται ἅμα ταὐτὸ εἶναι τὰ ἐναντία, ἐντελεχείᾳ δ' οὔ.

[2]) Metaph. L. I. c. I. (2) [ΒΙΒΛΙΟΝ Α ΤΟ ΕΛΑΤΤΟΝ].

[3]) Metaph. L. VI. c. VI. (10, 11): οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς ἓν τὸ ἑνὶ εἶναι καὶ ἕν. Ἔτι εἰ ἄλλο ἔσται, εἰς ἄπειρον εἶσιν. --- τὸ ἑκάστῳ εἶναι καὶ ἕκαστον, τὸ αὐτὸ καὶ ἕν ἐστι, δῆλον.

[4]) Ibid c. VII. (1); Πάντα δὲ τὰ γιγνόμενα ὑπό τέ τινος γίγνεται καὶ ἔκ τινος καὶ τί.

cie idem";[1]) „Quidquid movetur, necesse est, ut ab aliquo moveatur".[2])

Causam Aristoteles determinat: „id, ex quo insito aliquid fit[3]); tunc: „principium mutationis primum aut quietis, ut qui consuluit, causa est; — item ut finis: (haec autem est cujus causa, ut ambulandi sanitas)".[4]) Variae tenuissimae distinctiones causarum, quas Aristoteles fecit, ad nos hic non spectant. Addimus autem: illas distinctiones tantum abundare, ut non solum ambitum principii causalitatis, sed etiam ipsum rat. sufficientis principium amplectantur.

Doctrina Aristotelis de principiis (demonstrativis, inter quae Aristoteles principium contradictionis expresse cogitat) — in genere: Principia maxime scibilia sunt: „Maxime autem scibilia sunt ipsa prima et causae. Propter haec enim et ex iis cetera cognoscuntur, sed non haec per subjecta".[5]) Ideoque verissima: „Quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est"[6]). „Omnes (vero) demonstrativae utuntur axiomatibus"[7]); qui igitur vult aliquid demonstrare, principia (aximata) ponere debet; principia autem demonstrari nequeunt: „Harum sane nulla est simpliciter demônstratio; verum ad eum, qui haec ponit, demonstratio est".[8]) Et quidem demonstrari non possunt, quia: „Non est (enim) ex certiore principio syllogismum ipsius ejusdem facere".[9]) Principia immutabilia, absoluta sunt: „circa vero impossibilia aliter se habere, non fit quandoque verum, quandoque falsum, sed semper eadem vera et falsa sunt".[10]) Principia

---

1) Metaph. L. VIII. c. VIII. (4): ἅπαν τὸ γιγνόμενον γίγνεται ἔκ τινός τι καὶ τινος καὶ ὑπό τοῦτο τῷ εἴδει τὸ αὐτό.

2) Natur. ausc. L. VII. c. I. (1): Ἅπαν τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπό τινος κινεῖσθαι.

3) Metaph. L. IV c. II. (1): ἐξ οὗ γίγνεταί τι ἐνυπάρχοντος.

4) Ibid. (2. 3.)

5) Metaph. L. I. c. II. (5):

6) Ibid. L. I. c. I. (5). [Βιβλιον α το ελαττον].

7) Ibid. L. II. c. II. (10).

8) Ibid. L. X. c. V. (8).

9) Ibidem (2).

10) Ibid. L. VIII. c. X. (2).

generalissima sunt: „Universalia enim maxime et principia sunt axiomata".[1])

Circa principia impossibile est falli, quippe quae notissima sunt: „Omnium autem certissimum principium est, circa quod impossibile est falli. Notissimum etenim, ut hujusmodi sit, necesse est."[2]) Quivis aliquid cognoscit, simul principia: „Quod autem cognoscere illum necesse est, qui aliquid cognoscat, necesse est, ut veniat habens illud (sc. principium contradictionis)".[3])

Ad quae s. Thomas: „Et quia talis cognitio principiorum inest nobis statim a natura, concludit (sc. Aristoteles), quod omnes artes et scientiae, quae sunt de quibusdam aliis cognitionibus, utuntur praedictis principiis tamquam naturaliter notis — principia non demonstrantur, quia oporteret, quod haberent aliqua axiomata priora, quod est impossibile - - - Philosophus non considerat hujusmodi principia tamquam faciens ea scire definiendo vel absolute demonstrando, sed solum elenchice i. e. contradicendo disputantibus negantibus ea".[4])

Necessitatem principiorum phychologico logicam demonstravit (quin etiam analysaverit!) Aristoteles modo absoluto. Secundum Aristotelem „necessarium dicitur, sine quod non contingit vivere. Et recte necessitas videtur inevitabile quiddam esse. - - - Item quod non potest aliter se habere, necesse dicimus, ita se habere".[5])

Principia supponi debent, qui „enim nihil ponunt, ipsum disputare et omnino orationem perimunt".[6]) „Qui enim sermonem ad invicem communicaturi sunt, oportet, ut aliquatenus invicem intelligant. - - - Oportet igitur nominum unumquodque notum esse, et ali-

---

[1]) Ibid. L. II. c. II. (11): Καθόλου γὰρ μάλιστα καὶ πάντων ἀρχαὶ τὰ ἀξιώματά ἐστιν.

[2]) Metaph. L. III. c. III. (7).

[3]) Ibidem.

[4]) Comment. in Metaph. Arist. lect. V. in iib. III.

[5]) Metaph. L. IV. c. V. (1, 3).

[6]) Ibid. L. X. c. VI. (13).

quid significare, nec multa sed solum unum; si plura significet, manifestare, ad quod eorum nomen fert. Qui igitur dicit: esse hoc et non esse, hoc ipsum, quod omnino esse dicit, non dicit"[1]) Nam si „nihil est vere asserere, id etiam ipsum falsum erit dicere: assertionem nullam veram esse".[2]) Ideo qui principia negant „putantes de ente tractare, de non-ente dicunt".[3]) Si principia non essent vera, „omnes mentirentur, ipseque (sc. qui principia negaret) se ipsum mentiri concederet".[4])

His multisque aliis rationibus (ut v. gr. ex gradibus falsitatis, apparentiae etc) ostendit Aristoteles: absurdum et sane impossibile esse vere negare principia cognitionis: „Impossibile namque est: quempiam idem putare esse et non esse"[5]). Etiamsi quis dicat: se ita putare, fallit: „Non enim necesse est, quaecunque quis dicat, ea etiam putare"[6]).

Valorem principiorum objectivum demonstrat Aristoteles (quod tamen non facit specialiter, sed promiscue de natura principiorum disserens) praesertim duobus potentibus argumentis: a) „Si contradictiones simul verae de eodem omnes, patet, quod omnia erunt unum: erit etenim idem et triremis et paries et homo";[7]) et b) „Non enim secundum accidens unum est unum esse et ipsum unum. Item si aliud erit, in infinitum procedet. Etenim hoc quidem erit, quid erat esse unius; illud vero ipsum unum: quare de illis quoque eadem ratio erit".[8])

Ex tenore argumenti a) nulla res qua talis (i. e. determinata in se), si contradictiones de eadem essent

---

[1]) Ibidem c. V. (4, 5).
[2]) Ibidem (10).
[3]) Metaph. L. VI. c. VI· (17).
[4]) Ibid. L. III. c. IV. (22).
[5]) Ibidem c. III. (8).
[6]) Ibidem.
[7]) Metaph. L. III. c. IV. (16). Ἔτι εἰ ἀληθεῖς αἱ αντιφάσεις ἅμα κατὰ τοῦ αὐτοῦ πᾶσαι, δῆλον ὥς ἅπαντα ἔσται ἕν. Ἔσται γὰρ τὸ αὐτὸ καὶ τριήρης καὶ τοῖχος καὶ ἄνθρωπος.
[8]) Loc: cit.

verae, existere posset Ideo omnes res essent idem, ne hoc quidem in se determinatum; (supple argumentum: quod cum conscientia evidenter pugnat).

Ex tenore argumenti b) nisi omnis res illa ipsa esset, nec minima ejusdem pars se ipsam aequaret, igitur existere non posset; — consequenter: nec ipsa res existeret. (Supple argumentum: Quum autem res sint, cum se ipsis converti patet).

3. Altius investigationem suam circa prima cognitionis principia Aristoteles non ducit. Ut vidimus, ille logica sua acerrima adversarios, necessitatem principiorum infitiantes, prorsus confudit, doctrinam eorum ad absurdum perducens. Sed Aristoteles nondum attingit ipsius circa laudata principia processus subtilitates, non analysat ipsam, quae fons est principiorum, facultatem, sed disserit de principiis, ut optime notat s. Thomas „c o n t r a d i c e n d o disputantibus negantibus ea (sc. principia)“.[1] Ideo nec sat accurate (formaliter) distinguit inter necessitatem principiorum objectivam et subjectivam (psychologico-logicam). In libro „Metaphysicorom“ tractat ille passim et promiscue tam de principiis res constituentibus (ut v. gr. de materia et forma rerum etc.) quam de principiis demonstrativis [quae nos, termino Kantiano, licet mutato in sensu, utentes, principia rerum cognitionisque r e g u l a t i v a (non constitutiva!) appellemus.] Atque de omnibus istis principiis disserit Aristoteles ex illo c o n s u e t o, q u o t i d i a n o aspectu rerum sc. non sat distinguens inter notas, quae a nobismet ipsis rei attribuuntur (ut v. gr. si quid dulce, amarum? etc.), et notas, quae objecto vere competunt.

Quod tamen nil mirum. Tempore enim Aristotelis sphaera subjecti a sphaera objecti, mundus humanus a mundo, ut in se est, etc. nondum sat accurate discernebantur, neque quaestiones quidem de problematibus istis tam apte ponebantur, sicut hoc evenit temporibus nostris — post tantos talesque conatus et fluctuationes cogitationis humanae. Ideo quodammodo

---

[1]) Loc. cit.

verum dicit Whewell: „Fuit (igitur) indagatio scientifica Graecorum eorundemque asseclarum in medio aevo paulo quid amplius selectione atque analysi conceptuum, quotidiano sermone enunciatorum“,[1]) dum tamen verbis istis philosophiae Graecorum nihil derogetur.

Etenim discernere tenuissimos illos inter mundum humanum atque mundum in se limites, procul dubio, difficillimum est. Quod tamen expeditius in singulis objectis quam in universa cognitione perficitur. Etiam Aristoteles in singulis quibusdam casibus exacte distinguebat inter mundum humanum et mundum in se. Sic v. gr. „Nec enim sensibiles lineae tales sunt, quales geometra dicit. Nihil enim sensibilium ita rectum est neque rotundum“.[2]) Vel: „dico autem veluti idem quidem vinum, aut ipsum mutatum, aut corpore immutato, videri possit quandoque dulce, quandoque non dulce, sed non ipsum dulce, quum et quale est, unquam mutatum est, sed semper verificatur de eo: et quod futurum est dulce, necessario tale est“;[3]) ubi Aristoteles, sicut constat, facto ipsius conscientiae („ipsum dulce“) insistit, illudque quoad qualitatem („quum et quale est“) immutabile esse asserit. Separavit hic (non tamen omnino formaliter) Aristoteles „dulce“, quod in vino invenitur (i. e. rationem dulcedinis objectivam), ab isto „dulci“, quod per conscientiam nobis manifestatur, naturaque sua immutabile est. Distinctione ista refutat Aristoteles doctrinam Heracliti ipsiusque asseclarum, qui omnia continuo mutari affirmabant (πάντα ῥεῖ). „Quare Democritus“, citat Aristoteles „aut nihil esse verum, aut nobis ignotum esse, ait“ (ajebat).[4]) („Verum“ nempe constans, immutalibis aliqua proportio, conformitas inter cognitionem nostram et res in se habetur).

---

[1]) In J. St. Mill. Logik: L. V. c. 3. §. 6. (Edit. german. Brauschweig 1868.)

[2]) Metaph. L. II. c. II. (20).

[3]) Ibid. L. III. c. V. (19).

[4]) Metaph. L. III. c. V. (6): Διὸ Δημόκριτός τέ φησιν ἤτοι οὐθὲν εἶναι ἀληθὲς ἢ ἡμῖν γ' ἄδηλον.

Temporibus posterioribus propositio Democriti saepe mutabat faciem, quaestiones quoque circa cognitionis humanae ad res ipsas relationem multiplicabantur. Speciatim sceptici veteres, item nominalistae scepticique m. aevi multa contulerunt (quamquam modo indirecto sc. subjectivum in cognitione humana exaggerantes) ad discernendum inter subjectivum et objectivum — vel saltem ad quaestiones de problemate isto ponendas.

Magis tamen temporibus novissimis philosophi vim et modum (et speciatim ipsa principia) cognitionis humanae inquirere coeperant. Ortae sunt novae dilucidationes, sed etiam novae difficultates, atque cum his novae quaestiones. Alii ex philosophis novissimis intellectus (Cartesius, Leibnitz, Kant etc.), alii autem sensus (Locke, Hume, J. St. Mill etc.) exaggerant partes. Hii necessitatem principiorum cognitionis omnimodam oppugnant, illi notas principiorum objectivas debilitant (Cartesius et Leibnitz quoad originem principiorum tantum, Kant etiam quoad valorem objectivum — in sensu hujus vocabuli consueto) Nos Aristotelis de principiis doctrinam nostram fecimus. Ubi igitur Aristoteles cessavit, nobis incipiendum est: quae ab illo solum obiter prolata sunt, ad eadem nobis perveniendum est analysando ipsum circa principia cognitionis processum; sicque Aristotelis doctrinam complebimus. Cum autem hoc in capite dissertationis praeprimis de necessitate principiorum objectiva disserere intendamus, doctrinas philosophorum, valorem principiorum objectivum acerrime oppugnantium, videlicet: Humii (simul empiristarum in genere) et Kantii refutabimus.

4. Hume speciatim principium causalitatis oppugnavit. Cujus supprimendi rationes collegit, modoque s y s t e m a t i c o proposuit — ita, ut posteriores empiristae, sensualistae, materialistae etc. fere nihil novi ad laudatum principium refutandum addiderint. Ideo doctrinam Humii fusius perscrutabimur, ad objectiones vero posteriorum empiristarum solum breviter respondebimus.

Secundum Hume „omnes nostrae repraesentationes debilioresve apprehensiones reproductiones (Abbilder) sunt impressionum nostrarum vel vividiorum apprehensionum"[1]). „Vividissima idea semper infra debilissimam apprehensionem manebit".[2]) „Cunctae repraesentationes, speciatim abstractae, ex natura sua debiles confusaeque sunt".[3]) Igitur si idea quaecunque minus (omni sub aspectu) apprehensione sensuali exprimit, ex ipsa idea nunquam, quod in apprehensione non latuerit, deducam; q. s. fontem unicum cunctae cognitionis nostrae sensus esse.

Apparet Hume omnino confundens cognitionem intellectualem cum sensuali· Illi valet formula: Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, cum complemento: ipsum intellectum quoque sensum esse. Omnia ergo homini in cognitione adveniunt ita, ut nihil a priori, haud magis vero principium causalitatis seu relationem causam inter et effectum, cognoscere queat. „Audeo", loquitur Hume „addere: istius relationis cognitionem in nullo casu cogitatione a priori acquiri".[4])

Expressio „a priori" duplicem sensum habere potest: vel a) omnino a priori i. e. veritas aliqua cognoscitur praeter et ante omnem experientiam mero intellectu, cum ei innata sit; vel b) relative a priori i. e. veritas aliqua cognoscitur per experientiam, at totalis causa hujus cognitionis non est in mera experientia — ita, ut, nisi intellectu (facultate a sensibus distincta) praediti essemus, veritatem istam agnosceremus.

Hume verbis „a priori" et a) et b) sensum intelligit — speciatim quoad principium causalitatis. A priori cognoscere relationem causam inter et effectum: ex effectu concludere ad causam (vel viceversa) significat. Quod secundum Humium prorsus impossi-

---

[1]) Eine Unters. über d. menschl. Verstand (traductio ex lingua anglica) (Leipzig 1911.) p. 19.

[2]) Ibid. p. 17.

[3]) Ibid. p. 22.

[4]) Ibid. p. 37.

bile est. „Etenim effectus a causa omnino differt, ideoque in ipsa nunquam detegi potest“.[1]) „Nulla res unquam qualitatibus sensus ferientibus causas sui vel effectus suos possibiles quoscunque revelat“.[2]) Sic v. gr. „vis attractiva magnetis nunquam ratiocinationibus detegi potest a priori“.[3]) „Lapis vel metallum in altum projecta, absque fulcro statim cadunt in terram; factum autem hoc a priori considerantes num detegemus aliquid, quo projecta in altum potius in hanc illamve partem potius movenda ferendaque imaginemur?“[4]) „Uno verbo: omnis effectus est quidam a causa sua distinctus eventus. Qui propterea in causa sua detegi nequit, atque quodcunque sibi homo primum a priori de eo (sc. effectu) fingit vel imaginatur, necessario arbitrarium erit“.[5]) Ergo principium causalitatis nullo modo a priori est.

Sed ulterius Hume progreditur. „Assero igitur“, scribit ipse „jam vel postquam consecutionem causae effectusque comperimus, nostras ex hac experientia conclusiones nullo cogitationis aliove mentis actu niti.“[6]) — „inventio legis ipsius soli experientiae debemus, atque cunctae abstractiones intellectus ne passum quidem nos cognitioni huic admoverent“.[7])

Ipsum nexum causalitatis neque intellegimus neque intuemur, sed sentimus. „Quando multa eaque uniformia exempla obveniunt, atque eandem rem semper idem subsequitur effectus, tunc conceptum causae et connexionis fingere incipimus. Sentimus nunc novam sensationem vel impressionem, videlicet consuetam quandam connexionem in cogitando aut in fingendo rem ac ea, quae hanc subsequuntur; atque haec sensatio est prototypon,

---

[1]) Ibid. p. 39.
[2]) Ibid. p. 38.
[3]) Ibidem.
[4]) Ibid. p. 30.
[5]) Ibid. p. 40.
[6]) Ibid. p. 43.
[7]) Ibid. p. 42.

quam quaerimus, fictionis".[1]) Causa istius sensationis (principii causalitatis) experientia est. Qua experientia oritur consuetudo. Igitur ratio principii causalitatis non residet in intellectu sed in consuetudine: „Propterea omnes ex experientia deductiones effectus sunt consuetudinis, non autem rationis".[2]) Homini rudi „solum quia certo in casu eventus quidam alium praecurrit, prior causa, posterior vero effectus" apparebit. „Utriusque nexus potest arbitrarius vel fortuitus esse, ideoque nulla ratio, cur existentiam unius apparitioni alterius adscribamus".[3]) Idcirco causam inter et effectum relatio in solo constanti successu duorum phaenomenorum fundatur.

Unum phaenomenon post aliud expectare i. e. credere: post unum alterum successurum[4]), en quod nobis principium dat causalitatis. „**Fides** (Glaube) en verum adaequatumque vocabulum istius sensationis".[5]) „Consuetudine instructi in cunctis deductionibus nostris praeteritum in futurum transferre, ubicunque praeteritum regulariter uniformiterque evolutum est, summa cum certitudine manemus eventum, quin ullam objectionem admittamus".[6]) Certitudo tamen, qua effectum vel causam exspectamus, nunquam absoluta; non enim in objectivitate fundatur, vel si etiam fundatur, a nobis ut talis non agnoscitur. Quandoquidem ‚in nullo casu ullam vim aut necessariam connexionem, ullam qualitatem, quae effectum causae adnecteret, ejusque infallibilem eventum eficeret, detegere valemus".[7]) Nullam enim imaginem „connexus" vel „energiae" possidemus, cum haec sint merae voces „absque ullu sensu".[8])

Quodcunque sensibus nostris externis manifestatur, successus dumtaxat est phaenomenorum.[9]) „Ani-

---

[1]) Ibid. p. 95.
[2]) Ibid. p. 55, 56.
[3]) Ibid. p. 54.
[4]) Ibid. p. 55.
[5]) Ibid p. 61.
[6]) Ibid. p. 72.
[7]) Ibid. p. 77.
[8]) Ibid. p. 90.
[9]) Ibid. p. 77.

mus sensu aliquo vel interna quadam impressione hujus phaenomenorum succesionis non gaudet. Ideoque in nullo determinato casu causae et effectus quidquam datur, quod imaginem virtutis aut necessariae connexionis excitaret".[1])

Ex ista doctrina sponte sequuntur conclusiones (quas nec Hume deducere oblitus est): cognitionem nostram solum ad mere sensibilia extendi; ergo Deum, animam etc. impossibile est cognoscere, cum citra experientiam versentur; etc.

5. Tota Humii de principio causalitatis disputatio de facto laborat „ignoratione elenchi". Hume simpliciter omittit, quod in memorato principio fundamentum est: omittit nempe Hume intellectum — aequiparans illum sensibus. Etenim ideas abstractas, ut comperimus, Hume voces omni sensu destitutas proclamat. Quod a veritate logissime distat.

De facto enim: a) ideae abstractae conceptusve nullatenus imperfectius quam merae sensationes cognoscuntur. Etenim optime dignoscimus conceptum ab alio conceptu, cognoscimus optime conceptuum relationes ad invicem, optime conceptibus utimur etc. At neque quoad sensationes cognitio nostra ulterius extenditur;

b) Si omnes ideas abstractas conceptusque omitteremus, et solas sensationes retineremus, cognitioni nostrae inferremus mortem. Sic ex. gr. omittamus in ipsius Humii libro, quem citavimus, verba: non, si, quando, et, aut, forsitan etc. — quae (verba) prorsus nihil sensitivi significant, nec ullam notam sensitivam continent conceptus, quos verba illa spectant, et quid inde? Quid doctrinae supererit in libro propositae? Prorsus nihil. Conceptus enim et ideae regunt repraesentationes, determinant sensum illarum etc. Sicut in aliquá machina cursus totius actionis a clavis (Schraube), quorum si situs mutetur, tota simul machinae actio mutabitur, pendet, ita in cognitione nostra cujusvis enuntiationis sensus a conceptibus, mere intellec-

---

[2]) Ibidem.

tualibus, pendet. Quare conceptus non solum „verba sunt absque ullo sensu“, verum quod potius, ut poëtice dicam, repraesentationibus dominantur.

Quod attinet ipsum causalitatis principium, respondemus:

Effugit Humium ipse principii causalitatis nervus; atque hoc quidem propter falsam suppositionem: sensus unicum esse cognitionis humanae fontem. Eliminat nempe Hume e conceptu causae τὸ „propter quod“, essentiale conceptus causae elementum. Definitio causae, a Humio proposita, sonat: Causa est „res, quam alia subsequitur — ita, ut haec absque priore nunquam evenisset“.[1])

Definitio autem causae, communiter acceptata: Causa est res, propter quam aliquid fit. Quae igitur a Humio causae definitio proponitur, minime causae sed potius conditionis definitio est. In conditione enim non invenitur nexus rerum secundum „non sine hoc“ (sc. aliquid fit). Nexum rerum secundum „propter quod“ Hume simpliciter ignorat. Igitur disputans de causa nescit illam i. e. committit fallaciam „ignorationis elenchi“, sicut et diximus. Nusquam enim Hume demonstravit: ullam adesse distinctionem inter causam (τὸ propter quod) et conditionem (τὸ non sine hoc).

Omnis homo, etiam rudissimus optime distinguit inter „post hoc“ et „propter hoc“. Hume autem utrumque commutat. Constans rerum successus nondum sufficit ad res nexu causali connectendas. Nexus enim causalis plus exprimit successu temporali. Nimirum non raro contingit, ut duo phaenomena constanter sibi succedentia, quin revera nexu causali jungantur, nos causalitatis nexu jungamus; tunc vero intellectus ipse addit, quod essentiale est nexui causalitatis sc. τὸ propter quod. Cumque postea, investigatione adhibita, errorem opinionis nostrae comperimus (aliam sc. causam phaenomeni detegimus), jam res, constanter sibi succedentes, causali nexu non jungimus. Inde

---

[1]) Opus cit. p. 92.

patet: successum rerum temporalem a nexu causali omnino differre.

Neque consuetudo ratio, cur res nexu causali jungamus. Consuetudo enim ex factis saepius repetiti oritur. At quod uni rei aliam constanter succedere vis demus, solum nexum phaenomenorum temporalem, non etiam causalem cognoscimus. Praeterea: non pauca phaenomena nexu causali jungere consuevimus, quibus, investigatione adhibita, nullum causalem interesse nexum comperimus. Sicque contra ipsam consuetudinem frequentius res nexu causali connectimus. Quid enim aliud progressus scientiarum nisi inventio novarum causarum, prioribus, quas ut tales putare consuevimus, suppressis? Ita v. gr. Hume novam invenire vult principii causalitatis rationem, quam ipsam consuetudinem (contra rationem consuetam sc. intellectum) putat esse. Ergo ut patet: Hume sibimet ipsi contradicit et quidem in ipsa doctrinae suae explanatione. Etenim secundum doctrinam ejus res nexu causalitatis connectuntur propter consuetudinem, ipse autem contra consuetudinem res nexu causali jungit. Factis (contra verba sua) ostendit Hume: res nexu causali connectas non per sensus in conscientiam intrare nostram, sed postquam (in conscientiam) intraverunt, ab intellectu propter rationes, in ipsis rebus fundatas, conjungi. Quae enim conjunctiones phaenomenorum causales in memorato Humii libro inveniuntur, nullatenus per sensus in conscientiam Humii ingressae sunt (quia secus nulli inquisitioni operam dare debuisset), sed ab ipsa facultate, homini omnino intrinseca (quae intellectus est) post considerationem statutae sunt. Quod etiam ipse Hume, quamvis invitus, expressis verbis testatur: „Circumstantia, a qua effectus quidam pendet, saepe aliis, alienis extraneisque circumstantiis, invenitur connexa. Quas discernere saepius acutissimam exigit observationem".[1]) Ergo ut ex his Humii verbis patet, causa invenitur consideratione, non vero

[1]) Opus cit. p. 126. ad notam.

recipitur per sensus. Non raro enim postulamus causam etiam ibi, ubi nos prorsus latet. Usque adhuc ergo non fuit occasio, ut causam, quam prorsus ignoramus, cum effectu propter meram consuetudinem sc. ideo, quia duo haec phaenomena (causam et effectum) in experientia semper unum post aliud invenimus, connecteremus. Quare ipse sensus principii causalitatis ex intellectu, non autem ex meris sensibus (ex mera experientia) oritur. Quod nihil aliud significat, nisi quod nexus rerum causalis a nobis intelligitur, minime vero sentitur, prout Hume docet. Etenim dum res solum sensibus percipimus, dum eas solum simpliciter acceptamus, adhuc nullum nexus causalis sensum experimur sc. nullum causae effectusve conceptum habemus. Lapis est lapis; terra est terra; cadens lapis — cadens lapis est; etc. Sic homo rudis videns lapidem versus terram cadentem prorsus nullum causalitatis nexum terram inter et lapidem percipiet sc. non considerabit terram ut hujus phaenomeni causam. Lapis cadit (ita forte homo rudis judicabit), quia ita est, quia ita debet esse, quando lapis in aëre suffultus non est. In hoc casu homo rudis revera consuetudine regitur. Quia nempe semper ita videbat esse, jam habet sensualem convictionem: rem necessario ita esse; sed nondum ullum causae effectusve conceptum habebit. Adhuc passus est tantum quae ei sensus manifestaverunt. At per meros sensus nihil nobis ut causa vel effectus innotescit.

Tum demum, quando: **cur** lapis cadat? quaerimus, lapsum lapidis ut effectum habere coepimus, causam scire volentes. Quare conceptus nexus causalis eodem modo procedit ab intellectu sicut et ipsa interrogatio: cur? qua de re? etc. Inde evidenter patet: principium causalitatis „a priori“ esse. („A priori“ non omnino tamen, sed relative, cum omnino „a priori“ nullas veritates agnoscamus).

A priori illam veritatem cognosci dicimus, quae conceptis terminis statim patet: cujus praedicatum necessario connectitur cum subjecto. Qui casus etiam in principio causalitatis viget. Etenim nullum factum con-

cipimus ut effectum nisi relate ad causam; item nullam concipimus causam nisi relate ad effectum. Ergo cum conceptu causae necessario jungitur conceptus effectus, nec sine uno alter concipitur. Sic v. gr. aliquem hominem non concipio filium nisi relate ad patrem ejus. Qui ignorat, quid sit pater, impossibile est, ut sciat, quid sit filius.

Principium causalitatis universale est. Ideo a priori dicit nobis solas has duas universales necessitates: a) si adest effectus, necessario adest etiam causa ejus; b) quae causa necessario debet esse talis. ut effectum ponere valeat.

At quae sit ista causa, ubi illa sit, quae sint omnes facultates ejus, a priori haec n n cognoscuntur, sed ope ulterioris experientiae et considerationis. Principium causalitatis manifestat nobis naturam causae (posito effectu) generaliter tantum; ad intimam, ad determinatam naturam causae nos solum perducit. Ut etiam cetera principia ita hoc pariter causalitatis directivum est intellectui, nihil amplius. Si autem Hume postulat ab effectu, ut nobis causam specie et numero determinatam a priori patefaciat, naturam principii causalitatis non sat profunde concipit. Etenim pugnas contra omnem cognitionem a priori, secundum hujus phraseos obliviscitur sensum sc. cognitionem relative a priori.

Principium causalitatis a priori nobis dicit: hic adest effectus, ergo debet esse etiam causa hujus effectus. Quod nullatenus parvi faciendum. Nisi enim a priori cognosceremus: adesse debere causam, quomodo possemus investigare eam? Nisi sc. ipse causae effectusque conceptus ab intellectu oriretur, nullam rem causam, nullam effectum compuremus. Atqua ita nullus scientiarum progressus possilis esset. Hoc autem momentum Humium prorsus effugit.

Posito effectu ponimus causam cum necessitate absoluta. Ipsa necessitas nullatenus „vox sensu vacua“ est, sed conceptus haud minus clarus et distinctus quacunque repraesentatione sensuali.

Necessitas principii causalitatis fundatur in necessitate principii contradictionis et identitatis, ut diximus. Sicut nihil simul esse et non esse potest, ita neque non existens agere potest. Quare principio causalitatis usi non fide (sicut Hume docet) nitimur, sed perspecta necessitate.

Duo tamen problemata a Humio exquisite soluta: 1º nullus nobis per meros sensus causalitatis innotescit nexus[1]), 2º) cognitio nostra res non exhaurit i. e. nunquam a nobis ultima illa, a qua effectus pendet, causae vis attingi potest; seu: nunquam nobis tota agentium rerum machina patescit. Ideo nunquam, qui qualesque omnes effectus ex aliqua re sequi possint, a priori praevidere valemus. Ex quo tamen minime sequitur (quod Hume ponebat): a nobis res non cognosci tantum, quantum satis, ut illas nexu causalitatis, in ipsis quidem rebus fundato, jungamus.

Hume de facto solvit cognitionem principii causalitatis animalem, non autem humanam. Si, quae Hume docet, hominibus reapse contingerent, nulla esset scientia, nullus scientiarum progressus, sicut ostendimus. Finiamus verbis ipsius Humii: „Opinio quaecunque, ad insipientias ducens, necessario falsa".[2])

6. Hume veritates matheseos et geometriae „pura cogitationis (sc. intellectus) actione" inveniri docebat: „Hujusmodi propositiones solo intelligentiae labore deteguntur, quin ab ulla mundi re dependeant"[3]).

„Rationis inquisitionisque humanae" objecta dividit in a) relationes repraesentationum et in b) facta (Tatsache). Relationes repraesentationum (ad quae praesertim veritates matheseos et geometriae spectant)[4]) pura intellectus actione cognoscun-

[1]) „weil die besorderen Kräfte, durch welche alle Naturvorgänge sich vollziehen, niemals den Sinnen erscheinen". Opus cit. p. 54. item p. 78.

[2]) Opus cit. p. 114.

[3]) Ibid. p. 35.

[4]) Quodsi Hume principium causalitatis recte concepisset, illud sub „relationes reparessent." subsumere debuisset. Nihil enim aliud principio hoc exprimitur quam relatio inter abstractum causae et effectus conceptum. Sed Hume disserens

tur; facta vero per sensus innotescunt. Qua tamen cognitionis humanae objectorum divisione Hume in contradictiones cadit. Hinc enim, ut e superius dictis apparet, sensuum exaggerat partes: totam cognitionem nostram meris sensibus niti proclamans, inde evidentissimas veritates (relationes representationum) nequaquam sensibus at solo intellectu cognosci docet. „Etsi nunquam“, scribit ipse „vel circulus vel triangulum in rerum natura exstitissent, veritates tamen ab Euclide demonstratae semper certitudinem suam evidentiamque servarent“.[1])

Ex quibus verbis patet: Humium vel implicite fateri: vigere in homine facultatem quandam, a sensibus distinctam, cujus opera ea, quae in cognitione nostra potissima (etenim certissima) sunt, cognoscimus. Sine „relationibus repraesentationum“ de nullo „facto“ quidquam statuere possemus. Ergo verus scientiarum fons non in sensibus, sed in intellectu, „relationes repraesentationum“ cognoscente, latet. En, quomodo Hume — nunc sensus intellectui, nunc intellectum sensibus praeferens — secum vehementer pugnat.

Empiristae posteriores, ut similes contradictiones vitarent, omnes omnino veritates secundum et propter experientiam agnosci docebant. Ita ex. gr. J. St. Mill ipsa axiomata „veritates experementales, ge-

---

de principio cansalitatis de facto illud ante oculos non habuit, cum principium causalitatis (utpote generale) terminis abstractis constet, Hume autem facta nexus causalis particularia semper citat. Igtur cognitionem nexus causalis generalem (i. e. cognitionem ipsius principii causalitatis; vel cognitionem: quid sit causa in genere?) aequiparans cognitioni nexus causalis in casibus particularibus (i. e. cognitioni: quae sit specie et numero causa hic et nunc?) Hume cognitionem principii causalitatis sub „facta“ subsumit. Inde propter ordinem physicum laesit ordinem logicum.

E contra: Spinoza ordinem physicum similiter laesit propter ordinem logicum — proponens suum axioma IV. (Ethic. I.): Effectus cognitio a cognitione causae dependet et eandem involvit.

In ordine logico (sc. dum de conceptu causae abstractissimo agitur) hoc verum est, in ordine physico (sc. quando de causa concreta agitur) minime.

[1]) Opus cit. p. 35.

neralisationes ex experientia[1]) dicit. De principio contradictionis idem auctor scribit: „Considero principium hoc reliquis axiomatibus par ceu primam notissimamque nostrarum ex experientia generalisationum.“[2]) De conceptu causae: „Conceptus causae, sicut illum theoria postulat inductionis, est unice conceptus, qui experientia acquiri potest“.[3]) Vim principii causalitatis J. St. Mill exprimit verbis: „Certa facta certa subsequuntur facta; eaque, ut credimus, sequentur semper“[4]). Processus, quo ex experientia acquiruntur „generalisationes“, inductio est; eandem St. Mill definit: „processus, quo generalia judicia deteguntur et demonstrantur“.[5])

Cum J. St. Millio quoad essentialia consentiunt positivistae recentiores: A. Comte, C. Littré, Bain, Herbert Spencer etc. Ipse St. Mill sbribit: „Spencer in illo mecum concordat, quod axiomata considerat „simplicissimas primasque ex experientia inductiones“. - - - Atque tenet ea ultimum supremumque argumentum cujusvis fidei“.[6])

Sicut jam ex paucis his citatis locis patet, empiristae (positivistae) recentiores (exceptis excipiendis) non tam sensus contra intellectum quam experientiam contra omnimodam cognitinem a priori proferunt. Secundum illorum doctrinam intellectus nullius cognitionis principia in se ipso (neque potentia quidem), sed semper in factis extra intellectum (sc. in experientia) habet. Quo fit, ut cognitio nostra nullo sub aspectu absoluta sit, cum sc. a) experientia nullum absolutae cognitionis principium vel mensuram nobis suppeditet; b) neque intellectus (virtualiter) in se tale principium contineat. Inde etiam evidentissima axiomata „fide“ tantum nituntur, non ve-

---

[1]) J. St. Mill.: Logik: L. II. c. 5. §. 4.
[2]) Ibidem c. 7. §. 4.
[3]) Ibidem L. III. c. 5. §. 2.
[4]) Ibidem.
[5]) Opus cit. L. III. c. 1. §. 2.
[6]) Ibidem L. II. c. 7. §. 1.

ro necessitate absoluta. Alii alio modo fidem istam concipiunt. Quod fusius prosequi ad nos non spectat.

In III. et IV. dissertationis capite problemata, hic tractata, evolventur. Hic autem sequentia tantum notamus.

Quicunque principia prima „generalisationes experientiae“ dicunt, naturam principiorum non sat profunde concipiunt, frequentiusque distinguenda confundunt. Ita v. gr. emperistae non raro commutant legem causalem (sc. cognitionem ejusdem) cum ipso causalitatis principio[1]), idemque sola experientia niti tenent. De facto tamen sola lex causalis „generalisatio est ex experientia“, ipsum autem principium causalitatis minime. Nam, sicut ex superiori discussione comperimus, ipse principii causalitatis sensus nunquam a mera experientia oriretur. Ut autem ad legis causalis cognitionem perveniamus, principium causalitatis cognoscere jam debemus. Et generatim: ad inductionem quamcunque vel generalisationem perficiendam quaedam necessaria sunt principia, quorum ope et vi veritates particulares generalisare possimus et audeamus. Quare principia ista omnem praecedere debent experientiam, atque sola intellectus cognosci intuitione.

Verum empiristae materiae cognitionis sensitivae immersi — ipsam intellectus reflexionem (abstractionem), mysteriosam ejus naturam vel nullatenus vel insufficienter tantum animadvertunt, veritatesque sola reflexione comparatas (mere abstractas) saepe saepius „illusiones“ „fictionesque“ appellant. Adeo emperistas ipsa inter generalisationem et inter immediatam veritatis intuitionem interjacens effugit distinctio.

Plurimae dantur veritates, quae sola intellectus operatione, ut cum Humio loquamur, clarent — ita,

---

[1]) Ut ipsemet I. St. Mill: Logik L. III. c. 21. §. 2. Ad notam. Fr. Al. Lange notat: „Mill würde vielleicht nicht so weit abgeirrt sein, wenn er zwischen dem Causalgesetz im Allgemeinen und seiner heutigen naturwissenschaftlichen Auffassung unterschieden häte“.

Geschichte des materialismus T. II. p. 46. (Leipzig 1908).

ut nec experientie comprobatione indigeant. (V. gr. 200.400 + 372.161 = 572.561; vel: $15^4 = 225^2$; etc.)

Demum dantur veritates, quae experientiae factis nec possunt quidem probari, sed sola intellectus operatione cognoscuntur. Tales sunt v. gr. omnes veritates mathematicae, ubi numeri negativi, irreales, O et ∞, etc. occurunt.

Quare etiam St. Mill (ceterique empiristae) cum Humio deberent consentire: dari certas veritates, quae „sola intellectus actione“ agnoscuntur; quas veritates „relationes conceptuum“ esse, ut expressione Humii utar; neque sine talibus relationibus vel unam naturae legem detegi posse; quare ipsum principium scientiarum progressusque earum in intellectu, relationes idearum cognoscente, non autem in mera experientia latere.

7. Axiomata omnino prima sc. prima principia nullatenus solum „generalisationes“ experientiae sunt, sicut empiristae volunt. Generalisare significat: extendere aliquid ad omnia (certae speciei vel generis) propter aliqua. Hic homo mortales est; iste homo mortalis est; ille homo etc. Ergo: Omnis homo est mortalis. — Ecce schema cujusvis inductionis vel generalisationis (diminutum).

Omnis generalisatio totam vim suam factis singularibus debet. Sic in citato exemplo propositio: Omnis homo etc. totam vim suam accipit a factis: hic homo, iste, ille homo etc. In IV. dissertationis capite videbimus: vim principiorum universalem nullatenus factis singularibus conditionari. Ibidem videbimus: principiis, quatenus cognitionis principia sunt, non esse essentiale, ut formam generalisationis habeant: ut sc. sonent: Omnis res (illa ipsa est): Omnis effectus (praesupponit causam); etc. Vis principiorum procedit ex ipsa intellectus intuitione in τὸ esse et non-esse, sive in casu singulari sive in genere, rem nihil mutat.

Actus mentis, quo principia cognoscimus, neque fides Spenceri (quae opponitur dubio), neque fides Jacobii (quae ut aliqua rationalis (der Vernunft) di-

recta rerum immaterialium visio prorsus aliud est quam fides empiristarum), neque coeca fides a Jouffroy excogitata, nec instinctus quidam (common sense) Reidii etc. est, sed ipsa intellectio, conscia mentis visio. A est A, quia ita est; nullus instinctus nulla coeca fides impellit me, ut huic judicio consentiam; possum enim pronuntiare: A non est A, sed tunc **video** falsitatem istius propositionis. Quando intellectus necessitatem concipit principiorum, non concipit eam ita, ut ipsemet principia expresse fateri debeat, sed ita, ut omne ens principia exequi cogatur. Etiamsi nos nunquam principia cognosceremus, etiamsi ea infitiaremur, in ordine realitatis principia necessario verificarentur. Quod lucidissime apparet, dum in principia reflectimus. Intellectus percipit principia ut veritates immutabiles i. e. absolute necessarias. Etsi omnia mutarentur, valor princ piorum mutari non posset.

Nihilominus non defuerunt et speciatim temporibus nostris non desunt, qui nihil prorsus in cognitione nostra absoluti vel immutabilis esse teneant. De his, sic dictis „relativistis" plura dicenda essent, quodsi etiam intimas causas, quae illos decipiunt, ostendere vellemus; nobis tamen sufficiet potissimos eorum detegere errores.

Relativistae frequentius a) ordinem cognitionis cum ordine confundunt reali vel b) ordinem cognitionis pro nihilo putant (logicas leges absolutas putant fictiones tantum). Sic relativistae-evolutionistae asserunt: Omnia continuo mutari, nihil absolutum, omnia relativa esse. Ergo neque in ipsa cognitione quidquam absolutum dari. — Quod tamen stare nequit.

Quaeritur enim: sitne etiam cognitio expressa propositione: „Omnia sunt relativa tantum" ejusdem conditionis (sc. mutabilis, relativa)? Quodsi ita, jam non verum, quod ista propositione expressum est. Si autem citata propositio veritatem continet, relativa esse nequit, sed absoluta est.

Res igitur possunt continuo mutari, cognita autem veritas nequaquam. Sic v. gr. urbs Ninive jam non existit. At in sempiternum manebit: Ninivam fu-

isse. Quod factum nulla vi, nulla conditione mutari potest. (Inde adagium: Facta infecta fieri non posse.) Hoc penitus intellegimus. Inde patet: in cognitione nostra quaedam necessaria, absoluta inveniri. Nec aliter cognitio intellectualis possibilis esset.

Nisi enim absoluto modo cognoscerem factum: A=A (saltem ut meae manifestatur conscientiae), nihil de eo praedicare possem. Nam si A forsitan A sit, forsitan non; si B forsitan B sit, forsitan non; etc. qualem inter A et B relationem cognoscere valerem, si neque relationem A ad A certissime (absolute) agnoscerem? Neque ordo logicus vanus est, sicut aliquibus apparet.

Ita v. gr. scribit Fr. Paulhan: „Si la contradiction absolue n'existe pas, si l'identité ne nous donne qu'une idée vaine, si la recherche de la parfaite harmonie est une contradiction devenue inutile et qu'il faut maintenant rejeter, il reste que nous avons affaire à une matiére intellectuelle où la contradiction et l'identité partielle et abstraite s'unissent en rapports tres variables et plus ou moins harmonieuses“.[1]) Si absoluta, quam in ordine logico reperimus, identitas idea vana esset, totam mathesim, imo totam intellectualem cognitionem item vanam proclamare teneremur; etenim tota mathesis, imo tota cognitio intellectualis per ideam absolutae identitatis (i. e. per principium identitatis), ut in III. capite patebit, possibilis fit.

Hucusque ostendimus: principia prima ab intellectu procedere, absoluta esse etc. At nonne forte tota cognitio nostra solum ad subjectum limitatur? Nonne etiam ipsa principia „formae“ dumtaxat sunt cogitationis, quae in mundo subjecti quidem valent, quin in rebus ipsis quidquam iis correspondeat? Videamus nunc doctrinam, haec statuentem, cujus auctor Kant est.

8. Doctrina Kantii, praesertim in libro „Criticae rationis purae“ proposita, omnino novum dat sensum laudatae Democriti proposioni: „aut nihil verum est,

---

[1]) La logique de la contradiction p. 180. (Paris 1911).

aut nobis ignotum est". Etenim cum prius voce „veri" conformitas (saltem aliqua) rerum, ut a nobis cognoscuntur, cum rebus, ut in se et pro se sunt, semper intelligeretur, Kant talem conformitatem prorsus tollit. Secundum doctrinam ejus ne uni quidem notae rerum, ut a nobis cognoscuntur, correspondet quidquam in rebus, ut in se sunt. Cognitio nostra non extenditur ad res in se i. e. ad objecta posita extra sphaeram subjecti cognoscentis: „wie Dinge an sich selbst (ohne Rücksicht auf Vorstellungen, dadurch sie uns afficiren) sein mögen, ist gänzlich ausser unsrer Erkenntnisssphäre".[1]) „Denn man kann doch ausser sich nicht empfinden, sondern nur in sich selbst; und das ganze Selbstbewusstsein liefert daher nichts als lediglich unsere eigene Bestimmungen"[2]) Igitur cognitio nostra nullatenus sphaeram subjecti excedere potest i. e. sphaera objecti nobis semper clausa, inaccessibilis manet. Sicque „verum", ut a Democrito et communiter ab hominibus concipitur, secundum doctrinam Kantii nobis revera ignotum est. Attamen „verum" est. Et est quidem conformitas legum, intellectui (Verstand) a priori insitarum, cum legibus experientiae i. e. cum legibus, quae a posteriori cognoscuntur. Hae videlicet nihil aliud sunt quam peculiares illarum determinationes: „Aber alle empirischen Gesetze sind nur besondere Bestimmungen der reinen Gesetze des Verstandes".[3]) Quare conformitas, quae ad verum requiritur, secundum doctrinam kantianam semper tota (sc. id, quod conforme, et cui conforme est) in sphaera subjecti jacet. Hoc sensu „verum" a nobis cognoscitur et quidem certissime.

Facultates, principia (non axiomata!) cognitionis, juxta Kantium sequentes: a) intuitio sensualis (Anschauung), quae praesertim in forma temporis

---

[1]) Krit. g. r. Vern. Elementarlehre II. T. I. Abt. II. Buch II. Hauptst. 3 Absch.

[2]) Ibidem Elem. II. T. II. Abt. II. Buch. I. Hauptst. (A[1]).

[3]) Ibidem Elem. II. T. I. Abt. I. Buch. II. Hauptst. 3. Absch. (A[1]).

(sensus internus) et spatii (sensus externus) manifestatur; b) intellectus (Verstand), qui secundum 12 conceptus ipsi innatos agit; (conceptus isti „formae intellectuales a priori“ vel „categoriae“ appellantur); c) raiio (Vernunft), cui 3 innati sunt conceptus (hic ideae appelati) sc. idea 1. animae (absolute Einheit des denkenden Subjects), 2. mundi (absolute Einheit der Reihe der Bedingungen der Erscheinung) et 3. Dei (absolute Einheit der Bedingung aller Gegenstände des Denkens).[1])

Ideis prorsus nullum respondet objectum reale (in sensu kantiano). „Ich verstehe“, scribit Kant „unter der Idee einen notwendigen Vernunftbegriff, dem kein cogruirender Gegenstand in den Sinnen gegeben werden kann“.[2]) (In doctrina kantiana, ut statim videbimus, „sensuale“ et „objectivum“ totaliter coincidunt). Quare 3 ideae rationis revera merae ideae sunt. Categoriae intellectus ad objecta referuntur realia i. e. sensitiva, nec absque his ullum valorem objectivum habent. „Allein hier hat es mit den Categorien diese besondere Bewandtniss: dass sie nur vermittelst der allgemeinen **sinnlichen** Bedingung eine bestimmte Bedeutung und Beziehung auf irgend einen Gegenstand haben können“.[3]) Item: „Wenn wir unter bloss intelligibelen Gegenständen diejenigen Dinge verstehen, die durch reine Categorien, ohne alles Schema der Sinnlichkeit, gedacht werden, so sind dergleichen unmöglich. Denn die Bedingung des objectiven Gebrauchs aller unserer Verstandesbegriffe ist bloss die Art unserer sinlichen Anchauung, wodurch uns Gegenstände gegeben werden; und wenn wir von der letzteren abstrahiren, so haben die erstern gar keine Beziehung auf irgend ein Object“[4]). Item: „Hieraus fliesst nun

---

[1]) Ibidem Elem. II. T. II. Abt. I. Buch. 3. Absch.
[2]) Ibidem. 2. Abschnitt.
[3]) Elem. II. T. I. Abt. II. Buch. III. Hauptst. (A[1]).
[4]) Ibidem Elem. II. T. I. Abt. II. Buch. Anhang.

unvidersprechlich; dass die reinen Verstandesbegriffe niemals von transcedentalem, sondern jederzeit nur von empirischen Gebrauche sein können, und dass --- nur --- auf Gegenstände der Sinne --- bezogen werden können‘.[1])

Categoriae sunt conditiones ad experientiae possibilitatem, et solum qua tales valorem habent objectivum: „folglich wird die objective Gültigkeit der Categorien als Begriffe a priori darauf beruhen, dass durch sie allein Erfahrung (der Form des Denkens nach) möglich sei“.[2])

Summa hujus doctrinae haec est: Quod objectivum est in cognitione, per sensus nobis datur (‚dass, was sich darin unmittelbar auf den Gegenstand bezieht, heisst Anschauung“)[3]); omnes autem formae cogitationis (categoriae, ideae) tantum objective valent, quantum ad data sensitiva ordinantur; absque his datis prorsus nullum habent valoren objectivum. „Eben um deswillen stellen nun auch die Categorien kein besonderes, dem Verstande allein gegebenes Object vor, sondern dienen nur dazu, das transcendentale Object (den Begriff von etwas überhaupt) durch das, was in der Sinnlichkeit gegeben wird, zu bestimmen, um dadurch Erscheinungen unter Begriffen von Gegenständen empirisch zu erkennen“[4]) Item: „Was diese Kritik der Schlüsse aus den blossen Handlungen der Reflexion nützlich macht, ist: dass sie die Nichtigkeit aller Schlüsse über Gegenstände, die man lediglich in Verstande mit einander vergleicht, deutlich dartut, und dasjenige zugleich bestätigt, was wir haupsächlich eingeschärft haben, dass, obgleich Erscheinungen nicht als Dinge an sich selbst unter den Objecten des reinen Vertendas mitbegriffen sein, sie doch die **einzigen** sind, an denen unsere Erkenntniss **objective** Realität haben kann, nämlich: wo

---

[1]) Ibidem Elem. II. T. I. Abt. II. Buch. III. Hauptst. (A[1]).
[2]) Ibidem E.em. I. Abt. I. Buch. II. Hauptst. 1. Absch.
[3]) Ibidem 3. Abschnitt. (A[1]).
[4]) Ibidem Elem. II. T. I. Abt. II. Buch. III. Hauptst. (A[1]).

den Begriffen Anschauung entspricht."[1]) Unica igitur realia cognitionis humanae objecta sunt phaenomena, ubi sc. categoriis intuitio sensualis respondet. Objecta, quae intuitione mere intellectuali agnoscuntur, noumena a Kantio nuncupantur: „Wenn ich aber Dinge annehme, die bloss Gegenstände des Verstandes sind, und gleichwohl als solche einer Anschauung, obgleich nicht der sinnlichen, (als coram intuitu intellectuali) gegeben werden können, so würden dergleichen Dinge Noumena (Intelligibilia) heissen."[2]) Quae tamen noumena nihil positivi spectant: „Der Begriff eines Noumenon ist also bloss ein Grenzbegriff, um die Anmassung der Sinnlichkeit einzuschränken, und also nur von negativen Gebrauche"[3]). Objectum omnino citra sphaeram subjecti cognoscentis positum, res in se (Ding an sich) appellatur, atque nobis semper omnino ignotum manet, sicut jam principio memoravimus.

His praemissis transeamus ad proprium dissertationis nostrae propositum.

In sua „Critica rat. purae" expresse tractat Kantius de principio contradictionis et causalitatis. De principio autem identitatitis, ut est principium, minime. Sed disserit de ipsa ratione identitatis rerum (phaenomenorum). Quae identitas ut apparet, ab identitate procedit conscientiae: „Also ist das ursprüngliche und notwendige Bewusstsein der Identität seiner selbst zuglech ein Bewusstsein einer eben so notwendigen Einheit der Synthesis aller Erscheinungen nach Begriffen d. i. nach Regeln, d. e sie nicht allein notwendig reproducibel machen, sondern dadurch auch ihrer Anschauung einen Gegenstand bestimmen d. i. den Begriff von etwas, darin sie notwendig zusammenhängen".[4]) Absque identitate conscientiae nihil concipi posset ut unum in se, in se determinatum sc. ut iden-

---

[1]) Ibidem. Anhang.
[2]) Ibidem III. Hauptst. (A[1]).
[3]) Ibidem.
[4]) Ibid. Eleml. II. T. I. Abt. Buch. II. Hauptst. 2. Abt. (A[1]).

ticum cum se ipso. Cum autem secundum Kantium phaenomena (sc. objecta cognitionis nostrae realia) producantur, dum percipiuntur (non enim existunt extra subjectum cognoscens, sed neque in subjecto, donec perpiantur), identitatis phaenomenorum causa formalis de facto nihil aliud est „quam conscientiae unitas necessaria".[1])

Doctrina Kantii de principio contradictionis: Principium contradictionis est „universale, quamquam negativum dumtaxat criterium omnis veritatis";[2]) illud est mere formale, quovis argumento (Inhalt) carens, ideo mere logicum.[3]) In judiciis analyticis (kantianis) illud est „generale omninoque sufficiens principium".[4]) „Denn von dem, was in der Erkenntniss des Objects schon als Begriff liegt und gedacht wird, wird das Widerspiel jederzeit richtig verneint."[5])

In parte autem cognitionis nostrae synthetica nunquam ab eo ullam declarationem expectare possumus: „Da wir es nun eigentlich nur mit dem synthetischen Teile unserer Erkenntnis zu tun haben, so werden wir zwar jederzeit bedacht sein, diesem unverletzlichen Grundsatz niemals zuwider zu handeln, von ihm aber, in Ansehung der Wahrheit von dergleichen Art der Erkenntniss, niemals einigen Aufschluss gewärtigen können".[6]) In judiciis syntheticis — haud ut in analyticis — principium contradictionis non exercet vim suam, cum omnino extra naturam judicii synthetici jaceat: „In synhetischen Urteilen aber soll ich aus dem gegebenen Begriff hinausgehen, um etwas ganz anderes, als in ihm gedacht war, mit demselben in Verhältniss zu betrachten, welches daher niemals weder ein Verhältniss der Identität noch des Widerspruchs ist, und wobei dem Urteile an ihm

---

[1]) Ibidem.
[2]) Ibidem II. Abt. II. Buch. II. Hauptst. 1 Absch.
[3]) Ibidem.
[4]) Ibidem.
[5]) Ibidem.
[6]) Ibidem.

selbst weder die Wahrheit noch der Irrtum angesehen werden kann."[1])

De formula principii contradictionis, a Kantio proposita, jam tractavimus.

Kant duas contradictionis species invenisse praetendebat. Unam dialecticam oppositionem, analyticam alteram nominavit.[2]) Posterior dumtaxat vera contradictio, in qua, alterutra propositione negata, una vera esse debet. Dialectica autem oppositio talis contradictio est, in qua utraque propositio falsa esse potest, „quia una (propositio) alteri non solum contradicit, sed aliquid plus, quam ad contradictionem necessarium, enuntiat".[4]) Sequens talis dialecticae contradictionis specimen citat Kant: Mundus magnitudine finitus est; et: Mundus magnitudine infinitus est. Quarum propositionum neutra vera est, „weil", scribit Kant „die Welt gar nicht an sich (unabhängig von der regressiven Reihe meiner Vorstellungen) existirt: so existirt sie weder als ein an sich unendliches, noch als ein an sich endlices Ganzes"[5])

Specimen, quod dialecticam oppositionem evidentem facere deberet, sic a Kantio proponitur: „Wenn jemand sagte: ein jeder Körper riecht etweder gut, oder riecht nicht gut, so findet ein Drittes statt: sc. dass er gar nicht rieche (ausdufte); und so können beide widestreitende Sätze falsch sein".[6])

Quid de his sentiendum, videbimus infra

Principium causalitatis secundum Kantium est synthеticum a priori. Kant judicia analytica a priori appellat illa, in quibus praedicatum, tametsi latens, in subjecto (ex ipsa quidem subjecti natura)

---

[1]) Ibidem.

[2]) Ibid. Eleml. II. T. II. Abt. II. Buch. II. Hauptst. 7. Abschnitt.

[3]) Ibidem.

[4]) Ibidem.

[5]) Ibidem.

[6]) Ibidem.

continetur, atque per identitatem de subjecto praedicatur. Judicia autem synthetica a priori illa, in quibus praedicatum omnino extra conceptum subjecti jacet, quamvis cum subjecto certo modo connectatur, sed non per idetitatem de subjecto praedicatur.[1]) Cur aliquod praedicatum alicui subjecto synthetice a priori attribui possit, Kant satis respondere nescit. Vel ipse fatetur: „Es liegt also hier ein gewisses Geheimniss verborgen --- den Grund der Möglichkeit synthetischer Urteile a priori aufzudecken".[2]) Quod secretum soluturus 12 categorias, quae intullectui a priori insint, atque de objectis synthetico modo a priori praedicari possint, statuit. Sed nescit Kant explicare, cur alia phaenomena in alias categorias cadant? Sicut jure objicit Kantio R. Garrigou-Lagrange: „Pourquoi tels phénomènes viennent ils se ranger sous la catégorie de la substance, tels autres sous celle de causalité?"[3]) Inter categorias, a Kantio statutas, et quidem inter illas relationis, invenitur etiam categoria nexus causalitatis. Secundum Kantium sicut etiam secundum Hume effectus omnino diversus est a causa, ideo neque continetur in illa: „Denn man kann von einem Gegenstande und dessen Dasein auf das Dasein des anderen, oder seine Art zu existiren, durch blosse Begriffe dieser Dinge gar nicht kommen, man mag dieselbe zergliedern, wie man wolle".[4])

Juxta Hume causalitatis nexus est habitus in sensu acquisitus, et quidem acquisitus experientia; juxta Kantium vero nexus causalitatis est conceptus (forma intellectualis) intellectui innatus, per quem experientia possibilis fit: „Der Grundsatz des Causalverhältnisses in der Folge der Erscheinungen

---

[1]) Ibidem Einleitung.
[2]) Ibidem.
[3]) Les preuves de Dieu p. 62. (Paris 1910).
[4]) Ibidem Elem. II. T. I: Abt. II. Buch. II. Hauptst. 3. Absch.

gilt daher vor allen Gegenständen der Erfahrung (unter den Bedingungen der Succesion), weil er selbst der Grund der Möglichkeit einer solchen Erfahrung ist".[1]) Item: „also ist nur dadurch, dass wir die Folge der Erscheinungen, mithin alle Veränderung dem Gesetze der Causalität unterwerfen, selbst Erfahrung d. i. empirisches Erkenntniss von denselben möglich".[2])

Hume nexum causalitatis aliquam phaenomenorum successionem habebat; item Kant notam nexus causalis potissimam in phaenomenorum successione videt. „Demnach ist die Zeitfolge allerdings das einzige empirische Criterium der Wirkung in Beziehung auf die Causalität der Ursache, die vorgeht".[3]) Item: „Der Satz der Causalverknüphung unter den Erscheinungen ist in unserer Formel auf die Reihenfolge derselben eingeschränkt'.[4]) Quamquam Kantium non effugit: causam et effectum quoad tempus simul invenire posse. „Die Zeit zwischen der Causalität der Ursache und deren unmittelbaren Wirkung kann verschwindend (sie also zugleich) sein, aber das Verhältniss der einen zur andern bleibt doch immer der Zeit nach bestimmbar".[5])

---

[1]) Ibidem.
[2]) Ibidem.
[3]) Ibidem.
[4]) Ibidem.
[5]) Ibidem. Kant etiam aliam causalitatis speciem profert sc. causalitatem characteris mere intelligibilis, in cujus conceptu tempus non includitur: „Die Causalität der Vernunft in intelligibelen Character entsteht nicht, oder hebt sich nicht etwa zu einer gewissen Zeit an, um eine Wirkung hervorzubringen". (Krit. d. r. Vern.) Elem. II. T. II. Aht. II. Buch. II. Hauptst. 9. Abschn. Item: „In Ansehung des intelligibelen Characters - - - gilt kein Vorher oder Nachter." (Ibidem); quod quidem ideo, quia causalitas ista ipsam rem in se, quae tempori non subjacet, ceu objectum habet. Causalitas mere intelligibilis potest nobis explicare libertatem transcendentalem, sicut Kant opinatur, etenim actio secundum hanc causalitatem — actio libera est (!).

Sed omnia haec, ut ipse quidem Kant fatetur nullum valorem scientificum habent.

De re enim in se nulla scientia.

Sicut omnes categoriae pariter haec causalitatis, nisi ad objecta sensitiva i. e. talia, quae in experientia occurrunt vel occurrere possunt, referatur, nullo prorsus gaudet valore objectivo.

Quod secundum Kantii doctrinam omnino consequens est. Paenomenon enim — certo ex aspectu — est id, quod nos ordinarie appellamus: r e s sc. objectum cognitionis positivum reale. Phaenomenon componitur a) e x m a t e r i a (quae ipsa sensualis p e r c e p t i o est et b) ex f o r m a: „In der Erscheinung nenne ich das, w a s d e r E m p f i n d u n g c o r r e s p o n d i r t, die M a t e r i e derselben, dasjenige aber, welches macht, dass das Mannigfaltige der Erscheinung in gewissen Verhältnissen geordnet, angeschauet wird nenne ich d i e F o r m der Erscheinung".[1]) Forma phaenomenorum duplex: α) s e n s u a l i s (tempus et spatium) et β) i n t e l e c t u a l i s (categoriae). Nec sola phaenomeni materia nec formae sensuales nec intellectuales, sed demum junctio formarum sensualium cum intellectualibus facit phaenomenon i. e. objectum cognitionis verum. „Erscheinungen, s o f e r n s i e a l s G e g e n s t ä n d e n a c h d e r E i n h e i t d e r C a t e g o r i e n werden, heissen Phaenomena".[2]) „Gedanken (i. e. categoriae) ohne Inhalt sind leer, Anschauungen (formae sensuales) ohne Begriffe (sine categoriis) sind blind".[3])

C a t e g o r i a e non manent aliquid, quod exclusive ad ordinem referatur logicum, sed fiunt e l e m e n t u m i p s o r u m p h a e n o m e n o r u m c o n s t i t u t i v u m. Illarum munus est: in multiplicibus intuitionis sensualis notis s y n t h e t i c a m p e r f i c e r e u n i t a t e m. „Alsdenn sagen wir: wir e r k e n n e n den Gegenstand, wenn wir in dem Mannigfaltigen der Anschauung synthetische Einheit bewirkt haben".[4]) „— so folgt, dass der reine Verstand vermittelst der

---

[1]) Krit. d. r. V. Ellementallehre I. Teil.

[2]) Ibidem. Elem. II. T. I. Abt. II. Buch. III. Hauptst.

[3]) Ibidem. Elem. II. Einleitung.

[4]) Ibidem. Elem. II. T. I. Abt. I. Buch. II Hauptst. 3. Abschnitt. (A[1])

Categorien ein formales und synthetisches Principium aller Erfahrungen sei, und die Erscheinungen eine notwendige Beziehung auf den Verstand haben".[1]) Intellectus per categorias in objecta sensibus comparata (phaenomena) relationes, connexiones etc. i. e. leges importat. „Sinnlichkeit gibt uns Formen (der Anschauung), der Verstand aber Regeln".[2]) Categoria nexus causalis pariter fit elementum (certorum) phaenomenorum constitutivum. Itaque objective (sensu kantiano) fundatur in phaenomenis, et quidem in solis phaenomenis. Nam ubi materia sensitiva, ad quam categoria causalitatis referatur, deest, ipsi categoriae nullum respondet objectum reale. Leges (i. e. categoriae) enim de materia sunt; ubi vero haec deest, nihil, quod leges (i. e. categorias) exequatur, invenitur. Inde causalitatis principio (quod categoriae causalitatis expressio est) solum intra experientiae limites recte uti possumus.

En quoad eventum idem docet Kant sicut Hume — doctrinae tantum discrepans modo.

Quibus expositis, criiicam doctrinae kantianae instituemns.

9. Perlongum et fere impossibile esset ostendere ac refellere quaecunque in doctrina kantiana apparent erronea. Quare fundamentalem dumtaxat errorem Kantii ostensuri sumus. Quae autem cum scopo dissertationis nostrae intime cohaerent, accuratius perscrutabimur.[3])

Essentia doctrinae kantianae, nisi fallor, in distinctione inter rem in se, quae prorsus incognoscibilis, et inter phaenomena, quae unica cognotionis nostrae objecta positiva, realia sunt, consistit. Quibus elementis phaenomena constent, comperimus. Item cognovimus: meras formas intellectuales (i. e. categorias) abs-

---

[1]) Ibidem.

[2]) Ibidem.

[3]) Quaecunque in hac doctrinae Kantianae critica nova dicere videor, a me ipso sunt inventa, licet quaedam ab iliis auctoribus forsitan jam prolata sint.

que quacunque materia sensiiiva adhuc nulla constituere phaenomnna, ideo meris intellectus formis nullum respondere objectum reale.

Insistamus nunc in istis doctrinae kantianae principiis observantes ipsum Kantium, servaveritne in evolvendo doctrinam suam principia sua? Nonne, sicut contigit Humio, alia principia statuebat, aliis vero utebatur?

Opus in quo Kant principialem doctrinam suam evolvit „Critica r a t i o n i s p u r a e" inscribitur. Enuntiat titulus: praecipuum inquisitionis kantianae objectum r a t i o n e m esse humanam. Analysat Kant ipsa intima facultatis cognoscitivae elementa: statuit intuitionem sensualem (tempus et spatium), intellectum, rationem, 12 categorias, 3 ideas; invenit apparentiam transcendentalem (transcendentaler Schein); distinguit inter rem in se et phaenomena; phaenomenornm causas materiales (materiam et formam tum sensualem tum intellectualem), imo etiam causam f o r m a l e m (quae sc. phaenomena et categorias in synthesim redigit: quae est c o n s c i e n t i a identitatis subjecti cognoscentis) invenit; etc. etc.

Omnia haec ut s c i e n t i a proponuntur c e r t i s s i m a. Sed undenam Kantio talis scientia? quaerimus. Secundum Kantium objecta u n i c a cognoscibila sunt phaenomena. Quaerimus ergo: sitne etiam ratio phaenomenon (sensu ipsius Kantii)? Quae est materia ejus? Materia phaenomenorum intuitione s e n s i t i v a acquiri debet. Quae est hujusmodi materia in ratione? Quae in intellectu? Quae in categoriis? Quae in ideis? etc. Categoriae v. gr. purae sunt formae, omni nota sensitiva destitutae, at nihilominus Kant eas detegit i. e. cognovit. (Non agitur hic de meris categoriarum sensibus, quippe qui omni innotescunt homini, sed d e t o t a circa categorias, ideas, modum cognitionis humanae etc. d o c t r i n a.) Ut ergo patet, Kant non solum phaenomena sc. ea, in quibus materia sensuali comparata intuitione invenitur, sed etiam ea, in quibus nulla prorsus adest notitia sensualis, cognoscit. Talia

enim sunt: intellectus, ratio, categoriae, ideae, apparentia transcendentalis; etc.

Et quod amplius: Kant cognoscit etiam illa, quae omne phaenomenon praecedunt, cognoscit ipsas metaphysicas causas, per quas phaenomena demum possibilia fiunt: ergo Kant etiam ultraphaenomenalia cognoscit. Talia enim sunt formae intellectuales (categoriae), formae sensuales et „materia" phaenomenorum.

Certe: materia formaque rei, ab Aristotele statutae, aliquid ultraphaenomenale, pure metaphysicum sunt; praecedunt enim (quoad naturam suam) omnem rem actualem: ad rem ipsam materia formaque ut potentiae habentur. Idem fere dicendum de elementis phaenomenorum metaphysicis, a Kantio invenitis. Categoriae et formae sensuales ad phaenomenon item ut potentiae habentur. Categoriae solae vel formae sensuales nondum phaenomena sunt. Demum junctio formarum sensualium cum categoriis phaenomenon constituit. Quare categoriae et formae sensuales aliquid prius sunt ipsis phaenomenis. Quae phaenomenorum causae (materiales) in subjecto cognoscenti jacent.

Adeoque Kant, quamquam rerum extra subjectum conoscens positarum naturam in se ignoret, res, quae in experientia occurrunt, in se cognoscit, scit enim certe, quid in se sint i. e. illas nihil aliud esse quam sensuum nostrorum modificationes; item subjecti cognoscentis natura in se a Kantio cognoscitur. Quaecunque enim facultatis cognoscitivae elementa ab eo citantur, nondum phaenomena sunt, sed aliquid prius phaenomenis. Quod autem causa (prius) est phaenomenorum in genere, res in se est (vel faculsas rei in se). Quodsi igitur Kant sibimet ipsi constare vellet, vel a) non omnem „rem in se" nobis inaccessibilem esse proclamare deberet; vel b) e sua phaenomeni definitione elementum materiae sensualis eliminare, atque objecta cognitionis humanae positiva, realia etiam ea, in quibus nulla prorsus materia sensualis reperitur, proclamare; simulque docere:

meris conceptibus (absque intuitione sensuali) scientiam objectivam certamque acquiri posse.

Quibus enim mediis ipsemet invenit categorias, ideas, apparentiam transcendentalem etc? Qua intuitione sensuali usus est evolvens suam de categoriis etc. doctrinam?

Categorias, ideas etc. invenit Kant meris conceptibus. Sed conceptus sine intuitione sensuali „inanes" sunt, atque valore objectivo destituti. Categorias intellectui a priori insitas detegit Kant iisdem — et quidem meris categoriis. Nihil enim intuitio sensualis scit de categoriis, cum prorsus ab illis separetur. Quid ergo dicendum? — Ipsa inventio, categoriarum, idearum etc. nihil aliud est quam „transcendentalis amphibolia", quae „in quadam objecti intellectus puri cum phaenomeno confusione fundatur".[1]) At talis „transcendentalis amphibolia" omnino destituta est valore objectivo, ut docet ipse Kant: „Wenn wir unter bloss intelligibellen Gegenständen diejenigen Dingen verstehen, die durch reine Categorien, ohne alles Schema der Sinnlichkeit gedacht werden, so sind dergleichen unmöglich. Denn die Bedingung des objectiven Gebrauchs aller unserer Verstandesbegriffe ist **bloss** die Art unserer sinnlichen Anschauung, wodurch uns Gegenstände gegeben werden".[2])

En quomodo doctrina kantiana cum se ipsa — et quidem in suis principiis pugnat.

Si, quod Kant docet sc. meris intellectus conceptibus nihil reale agnosci, esset verum, scientia progresusque ejusdem impossibilis esset. Quandoquidem puri conceptus licet de objecto agant sensuali, notitia sensuali semper latius pateant, adeoque illud, quo sensualem superant notitiam, reali proprio semper destitueretur objecto (cum sc. sensibus impossibile sit, attingere, quae intellectu attinguntur). Sic v. gr. conceptus abstracti causae effectusque, ut scimus, ex solo

---

[1]) Krit. d. r. Vern. Elem. II. T. I. Abt. II. Buch. III. Hauptst.
[2]) Ibidem.

procedunt intellectu. Sensus nobis successionem dumtaxat phaenomenorum manifestant, ipse autem nexus causalitatis conceptus isti successioni, sensibus animadversae supperaddit τὸ propter quod. Quare si puris conceptibus nihil reale cognosci posset, neque conceptu causalitatis, quamvis rei applicetur sensuali, aliquid reale cognosceretur. Id enim, quod iste conceptus exprimit (sc. τὸ propter quod), in ipsa re sensuali, in quantum nobis per sensus manifestatur, non invenitur.

De rerum identitatis ratione, quam Kant docere videtur, haec dicenda sunt: uno sensu ista ratio vera, alio falsa. Identitas nempe conscientiae conditio est sine qua non, ut res principio identitatis concipere queamus; minime tamen conscientiae identitas etiam identitatis rerum (phaenomenorum) causa est.

Principium contradictionis Kant immerito ad mundum dumtaxat phaenomenorum restringit. Etenim si vera quoque esset distinctio inter phaenomena, quae cognosceremus, et rem in se, quam ignoraremus principium contradictionis nihilosecius ad rem in se extendendum esset. Kant quidem docet: rem in se esse. Quodsi autem res in se est, ergo non non-est. Principium nempe contradictionis de ipso esse est. Quare cuicunque ut praedicatum additur esse, etiam principium contradictionis ad illud extendendum est, cum conceptus τοῦ esse praeter et sine contradictionis principio nullum valorem sed neque sensum habeat.[1])

Item immerito idem principium (quoad munus ejus) ad sola judicia analytica kantiana a Kantio restringitur. Omne enim judicium sive analyticum sive syntheticum, ut in III. capite videbimus, solum ope principii identitatis (simulque contradictionis) formari potest.

Oppositio dialectica, a Kantio inventa, mera fallacia est. Specimen hujus oppositionis, a Kan-

---

[1]) In τῷ fieri τὸ esse et non esse nullatenus sub uno eodemque continentur aspectu, ut Hegel docebat. Quare esse (purum) cum nihilo (puro) identificare, ut Hegel fecit, abusus est ipsorum fundamentalium cognitionis nostrae conceptuum.

tio citatum, nullam contradictionem dialecticam sed errorem continet. En propositiones: a) Omne corpus suaveolens est; et b) Illud non est suaveolens. Inter quas propositiones invenit Kant tertium: c) Corpus (sc. aliquod) omnino non olet

Sed haec deductio contra omnes regulas logicas est. Nam si citatae praemissae sensum aliquem habere intendunt, in illis supponendum est subjectum: omne corpus olens. Quod si non supponeretur, utraque propositio contradictiora in se esset, cum praedicatum positivum cum nihilo in subjecto in utraque conjungeretur; en quomodo:

a) Omne corpus (quod omnino non olet) est (suave) olens; b) Omne corpus (quod omnino non olet) est (non suave) olens. Ut patet, „olens" in utroque casu praedicaretur de „non olente".

Cum igitur subjectum: „omne corpus olens" in utraque propositione supponi debeat, contradictio adest solum inter „suave" et „non suave". At cum istis contradictionis membris „non olens" nihil prorsus commune habet. Quare inventum a Kantio tertium: „Corpus omnino non olet" omnino citra citatarum propositionum contradictionem jacet. Sed etiamsi supponatur in laudatis propositionibus subjectum: „omne corpus olens", propositiones istae non cantradictoriae sed contrariae evadunt, Deest enim in iis oppositio secundum quantitatem, ideoque negata una, altera non debet valere, prout est sc. tota quantitate sua (Omne corpus etc.), cum possit reperiri solum partialiter sumpta (sc. Aliquod corpus etc.).

In alio dialecticae oppositionis exemplo (sc. a) Mundus magnitudine finitus, et b) infinitus est) Kant non distinguit inter potentiam et actum, quam distinctionem aliis locis ipsemet ponit („datum" et „dabile" in Crit. rat. purae)[1]). Etiamsi vera esset doctrina Kantii, mundus („ordo mearum repraesentatio-

---

[1]) Elementarlehre II. T. II. Abt. II. Buch. II. Haupist. 8. Abschnitt.

num") ut datus i. e. actu semper finitus esset; ut dabilis autem i. e. potentia infinitus, vel potius: non finitus. Itaque citatae propositiones non possunt ambae stare sub uno eodemque respectu, nec exemplum sunt alicujus contradictionis dialecticae (nisi sensu hujus vocabuli deteriori!).

Principium causalitatis non est a priori sensu kantiano. Non enim in res nexum causalem importamus, sicut Kant docet, sed nexum causalem in rebus invenimus. Kant evidentissime docet: leges naturae rerum ab intellectu in res (phaenomena) importari. Quod jam ex anteactis scimus, hic autem confirmare volumus. Scribit Kant: „Die Ordnung und Regelmässigkeit also an den Erscheinungen, die wir Natur nennen, **bringen** wir selbst **hinein**, und würden sie auch nicht darin finden können, hätten wir sie nicht, oder die Natur unseres Gemüts, ursprünglich hineingelegt".[1]) Item: „Es ist also der Verstand nicht bloss ein Vermögen, durch Vergleichung der Erscheinungen sich Regeln zu machen: er ist selbst die Gesetzgebung für die Natur d. i. ohne Verstand würde es überall nicht Natur d. i. synthetische Einheit des Mannigfaltigen der Erscheinungen nach Regeln geben; denn Erscheinungen können als solche nicht ausser uns stattfinden, sondern existiren nur in unserer Sinnlichkeit".[2]) Item: „der Verstand ist selbst der Quell der Gesetze der Natur".[3]) Recusamus investigationem de omnibus naturae legibus, existantne revera in natura, an nos illas in naturam inferamus? Ad solum nexum causalem attendemus. Ne hanc quidem quaestionem accuratius analysabimus, sed potissimas dumtaxat inconvenientias, quae emergerent si nexus causalis a nobis in rerum naturam importari supponeretur, monstrabimus. Etiamsi nexus causalis merus, intellectui a priori insitus, esset conceptus (sicut Kant

---

[1]) Krit. d. r. Vern. Elem. II. T. I. Abt. Buch. II. Hauptst. 3. Absch. (A[1]).

[2]) Ibidem.

[3]) Ibidem.

docet), ut eundem conceptum aliquibus phaenomenis applicare possim, in ipsis phaenomenis rationem quandam objectivam i. e. nec a voluntate mea nec ab ipsa causalitatis categoria dependentem invenire deberem. Nisi enim hoc esset, phaenomena causalitatis vel a) ad libitum quaecunque jungere possem, vel b) propter coecam naturae humanae necessitatem determinata quaedam phaenomena nexu causali jungerem. Primum evidenter repugnare apparet. Item secundum — vel levi adhibita consideratione. Si certa phaenomena propter solam naturae humane constitutionem nexu causalitatis **sponte** jungeremus, impossibile esset novas invenire causas, detegere fallaciam priorum computatarum causarum etc. Quae enim sponte (i. e naturae humanae necessitate) in causalitatis categoriam caderent, ea necessario ut nexu causali conjuncta computaremus. Ideoque scientia progressusque ejusdem impossibiles essent. Ad scientiam possibilem reddendam superest, ut ipsam rationem objectivam (i. e. in re fundatam), propter quam aliqua phaenomena causali nexu conjungamus, conscio modo cognoscamus; atque ideo tantum, quia ipsa relatio rerum objectiva omnino correspondet illi, quod in nexus causalis conceptu continetur, res causali connexione jungamus. Hoc autem non significat nexum causalem in rerum naturam inferre, sed invenire, detegere. Quodsi autem ipsam relationem rerum objectivam inveniendo (i. e. a posteriori) cognoscere debeo, ad quem qualemque mihi essent usum aliquae de rebus leges, intellectui a priori insitae? Ad nullum prorsus. Nihilosecius, ut res cognoscere valeam, intellectus debet esse omnibus legibus ad cognitionem rerum acquirendam necessariis praeditus. Quare inrellectus minime fons est, legum naturae **rerum**, ut Kant docet, sed fons legum naturae **cognitionis**. Sic de nexu causali intellectui a priori ea solum insunt, quae ad cognitionem nexus causalis acquirendam necessaria. Hoc tantum sensu.

principium causalitatis innatum recte dici potest. Neque, quod Kant docet, conceptum effectus in conceptu causae nullo modo contineri, verum. Videtur Kant — sicut Hume — causae conceptum non abstractum sed concretum ob oculos habuisse, cum haec statuebat. Ceterum, quid de his cogitanda sint, jam scimus.

10. Applicabilitatem principiorum (praesertim principii contradictionis atque causalitatis) ad res in se Kant acerrime oppugnare voluit famosis suis antinomiis. Ideo etiam istas antinomias criticae saltem brevissimae submittere tenemur.

Kant antinomiis demonstrare intendebat (quod a se rigorosissime i e. aeque potentibus argumentis „pro et contra" peractum esse credit): nos, cognitionis nostrae mundum ut rem in se computantes, contradictoria de rebus asserere cogi. Sequentem Kant antinomiis praemittit introductionem: „Wenn wir unsere Vernunft nicht bloss zum Gebrauch der Verstandesgesetze, auf Gegenstände der Erfahrung verwenden, sondern jene über die Grenze der letzteren hinaus auszugehen wagen, so entspringen vernünftelnde Lehrsätze, die in der Erfahrung weder Bestätigung hoffen, noch Widerlegung fürchten dürfen, und deren jeder nicht allein an sich selbst ohne Widerspruch ist, sondern sogar in der Natur der Vernunft Bedingungen seiner Notwendigkeit antrifft, nur das unglücklicher Weise der Gegensatz eben so gültige und notwendige Gründe der Behauptung auf seiner Seite hat".[1])

Quatuor ponit Kant antinomias, quarum quaevis thesi et antithesi constat. Videamus nunc antinomiarum argumentationes.

Theis I. antinomiae:

Mundus est limitatus et quoad tempus et quoad spatium.[2])

---

[1]) Krit. d. r. Vern. Elem. II. T. II. Abt. III Buch II. Hauptst. 2. Abschnitt.

[2]) Die Welt hat einen Anfang in der Zeit, und ist dem Raum nach in Grenzen eingeschlossen.

Argumentatio theseos (et quidem solum prioris partis sc. quoad tempus, altera enim analoga est cum priori): Nisi mundus in tempore principium haberet, in quocunque temporis dati monento jam tota aeternitas **transiret**. Sed aeternitas nunquam transire potest, cum illa nihil aliud sit quam synthesis succesiva, quae nunqam finita esse potest. Igitur talis synthesis, quae una ex parte nunquam finiri posset, ex altera vero: in quocunque temports dati momento finita essse deberet, impossibilis est. Quod significat: mundum non existere ab aeterno, sed in tempore incepisse.

Critica hujus argumentationis: Ut dr. Fr. Erhardt[1]) ingeniose animadvertit, in praemissa majori „aeternitas" a Kantio ut synthesis successiva, quae transire i. e. finita esse posset („in quocunque momento etc. tota aeternitas transiret"!!), concipitur, in praemissa autem minori „aeternitas" ut synthesis successiva, quae nunquam trasire i. e. finiri possit, definitur. Sicque Kant sibimet ipsi contradicit. (De facto Kant prima vice aeternitatem, quae in quocunque momento finita esse posset, ut hypothesim absurdam ponit, verumtamen postea eandem hypothesim, si argumentum bene inspicias, ut factum in ratiocinium suum occulte inducit.)

Antithesis I. antinomiae:

Mundus nec quoad tempus nec quod spatium limitatus est.[2])

Argumentatio: Si mundus in tempore principium haberet, ante mundi principium — tempus vacuum esset. In tali autem tempore vacuo nulla res fieri posset, cum nullum momentum (temporis vacui) antecedens aliquam rei producendae conditionem sequenti momento tradere posset. Quare mundus nunquam incipere posset. Cum autem sit, ab aeterno esse patet.

---

[1]) Kritik der kantischen Antinomienlehre (Leipzig 1888.) p. 4—9.

[2]) Die Welt hat keinen Anfang und keine Grenze im Raume, sondern ist sowohl in Ansehung der Zeit als des Raumes unendlich.

Critica antitheseos argumentationis: Tota argumenti vis in illo „tempore vacuo" jacet.

Non contendemus ostendere: tale tempus meram esse Kantii fictionem, cum tempus etiam ad mundum spectet, atquae sine mundo prorsus nihil sit; sed fallacias dumtaxat logicas (non etiam metahpysicas) argumentationum Kantii patefaciemus.

In thesi ge facto agebatur de tempore (de synthesi successiva) abstractione facta a natura ipsius mundi i. e. rerum, quae mundum constituunt. Igitur „mundus" de facto est intelligendus tempus (synthesis succesiva). Eratque conclusio theseos: synthesim successivam, quae nunquam finiverit, impossibilem esse; quod significat: tempus aeternum impossibile esse. Etenim thesis recte soluta sic sonare deberet: Tempus (loco „mundus") limitatum est i. e. principium habet.

At in antithesi Kant omnino oppositum **supponit** (non etiam demonstrat!) sc. tempus esse aeternum, nullum habere principium. Etenim „tempus vacuum" ante principium mundi ut aeternum i. e. sine principio a Kantio computatur. En tali subtili modo Kant sibimet ipsi contradicit. Etiam tres ceterae antinomiae pari laborant vitio: quod sc. Kant in thesi arguendo concludit, in antithesi oppositum ejusdem (occulto modo) simpliciter supponit, atque hanc suppositionem „lapidem fundamentalem" totius antitheseos argumentationis facit.

Thesis II. antinomiae:

Omnis in mundo substantia composita partibus simplicibus constat, nec quidquam existit nisi simplex.[1])

Argumentatio: Omnis res composita partibus constat simplicibus, quia dividendo rem compositam semper in minus et minus, si omnem in cognitione compositionem tolleremus, nihil de re remaneret, conse-

---

[1]) Eine jede zusammengesetzte Substanz in der Welt besteht aus einfachen Teilen, und es existirt überall nichts als das Einfache, oder das, was aus diesem zusammengesetzt ist.

quenter: nulla substantia existeret. Igitur ultimae particulae omnis rei compositae simplices sunt, nec de facto aliquid prater simplicia existit (ergo etiam spatium simplex est).

Antithesis:

Nulla in mundo res composita partibus constat simplicibus, nec aliquid simplex existit.[1])

Argumentatio: antithesis vera, etenim omnis relatio externa, ergo etiam omnis ex substantiis compositio in spatio tantum possibilis; spatium autem non est simplex sed ex spatiolis (aus Räumchen) compositum. Quare si substantia composita partibus simplicibus constaret, omnis particula simplex spatium occuparet; at cum spatium compositum sit, quaevis particula simplex etiam composita esse deberet, quod sibi contradicit.

Critica argumentationis theseos et antiiheseos: In thesi conceptum spatii Kant omnino tollit, vel potius: arguendo demonstrat (ut sileam de hujus demonstrationis rectitudine!): nullum dari spatium ut aliquid essentialiter compositum.

In antithesi vero spatium essentialiter compositum, ex quo tota demonstrationis vis resultat, gratis supponitur.

Thesis III. antinomiae:

Causalitas secundum leges naturae mechanicas non sufficit, ut ex illa omnia mundi phenomena procedere possint; necessario est accipienda libertas.[2])

Antithesis:

---

[1]) Kein zusammengesetztes Ding in der Welt besteht aus einfachen Teilen, und est existirt überall nichts Einfaches in derselben.

[2]) Die Causalität nach Gesetzen der Natur ist nicht die einzige, aus welcher die Erscheinungen der Welt insgesamt abgeleitet werden können. Es ist noch eine Causalität durch Freiheit zu Erklärung derselben anzunehmen notwendig.

Nulla est libertas, sed omnia causalitate mechanica fiunt[1].)

Theseos argumentatio: Impossibile est, ut omnia, quae eveniunt, causalitate mechanica eveniant i. e. ab alio ad actionem determinentur. „Eo modo semper subalternum dumtaxat nunquam vero primum principium datur". „Ergo necesse est aliquam accipere causalitatem, cujus vi alquid fiat", ipsa autem ante se jam nullam habeat causam. Datur ergo „absoluta spontaneitas", „quae a se ipsa incipit" — „transcendentalis libertas".

Antitheseos argumentatio: Ordo subalternus incipere nequit per spontaneitatem primae causae (liberae), sed per determinationem ejusdem; ergo non per libertatem sed per causalitatem. „Ergo transcendentalis libertas contra legem est causalem" — „ist mithin ein leeres Gedankending".

Critica argumentationis III. antinomiae: In thesi Kant, ut ordinem conditionatum (subalternum) concipiat, ad inconditionatum concludit, accipitque illud ut omnino necessarium. In antithesi vero (quia intellectus noster inconditionatum non penetrat) Kant inconditionatum simpliciter rejicit, quia tale inconditionatum „contra legem causalem esset" (!) i. e. quia cum lege ordinis conditionati pugnaret.

Quod igitur Kant in thesi ut aliquid ordinem conditionatum explicans putat, idem in antithesi ut non tantum ordinem conditionatum non explicans, sed directe confudens putat. In thesi voluntas absoluti in actu primo, ut scholastici ajunt, libera demonstrata est; in antithesi vero Kant prorsus negligit illud, et ob oculos habet voluntatem jam in actu secundo i. e. jam determinatam (ad actionem). III. antinomia, ut patet, de facto non agit de libertate in genere, sed de prima rerum causa, sitne libera vel non?

---

[1]) Es ist keine Freiheit, sondern alles in der Welt geschieht lediglich nach Gesetzen der Natur.

De prima rerum causa agit etiam IV. antinomia et quidem de problemate: sitne prima rerum causa necessaria vel non?

Thesis IV. antinomiae;

Ad mundum spectat ens necessarium, quod causa est mundi.[1])

Antithesis:

Nec in mundo, nec extra mundum datur ens necessarium, quod causa sit mundi.[2])

In thesi arguit Kant ex contingentibus (conditionatis) ad necessarium — omnino simili modo sicut in thesi III. antinomiae. Concludit: „Ergo debet aliquid absolute necessarium existere".

In antithesi vero hoc negatur, quia tale ens „omnino sine causa esset, quod dynamicae legi omnium phaenomenorum determinationis in tempore contradiceret".

Et denuo habemus idem, quod in III. antinomia. Ad quod *in thesi* concluditur *ex causis conditionatis*, *idem in antithesi* negatur, *quia causis conditionais contradicit* (!). In III. et IV. antinomia arguit Kant: *Pono* ordinem inconditionatum, *quia sequitur ex conditionato*; *nego* ordinem inconditionatum, *quia non invenitur in conditionato*.

Theses III. et IV. antinomiae demonstrant: dari inconditionatum, quod legibus ordinis conditionati non subditur; antitheses vero prorsus negligunt thesium conclusiones.

Quod clara locutione perficere impossibile esset; ideo Kant iisdem verbis jam hoc, jam aliud intelligit. Sic v. gr. voce „mundi" intelligit tum tempus, tum spatium, tum absolutum τοῦ esse, denique sola conditionata (sic in thesi IV. antinomiae voce „mundi" absolutum τοῦ esse intelligitur; in antithesi vero sola conditionata: „obgleich in **allen** ihren Teilen zufällig

---

1) Zu der Welt gehört etwas, das entweder ihr Teil, oder ihre Ursache ein schlechthin notwendiges Wesen ist.

2) Es existirt überall kein schlechthin notwendiges Wesen, weder inder Welt, noch ausser der Welt als ihre Ursache.

und bedingt, im Ganzen dennoch schlechthinnotwendig und unbedingt (n. die Welt), welches sich widerspricht"); etc. Revera: in antinomiis Kant verus sophismatum magister sese ostendit. Nam non solum interna antinomiarum constructio, sed etiam ipsum principium et finis earum sophistica sunt. Principium, quia Kant contradictoria de eadem re demonstrare intendit; finis, quia Kant aliud arguit, aliud concludit. In antinomiis nempe nusquam quaeritur: sintne r e s i n s e vel non? sed solum d e q u a l i t a t i b u s r e r u m (quaeritur). At res revera (extra nos, in se) existere s u p p o n i t u r. Qui igitur fit, ut Kant ex antinomiis concludat: „Woraus denn folgt: dass Erscheinungen überhaupt ausser unseren Vorstellungen nichts sind. welches wir eben durch die transcendentale Idealität derselben sagen wollten"?[1])

Neque antinomiae, si res cognitionis nostrae ut mera phaenomena computaremus, deficerent; tum enim ad phaenomenorum mundum extenderentur. Quod sincerrime auctor jam citatus dr. Fr. Erhardt, quamquam ipse kantianus, fatetur: „vielmehr würden diese (sc. Antinomien) gerade wie vorher gelten, nur nicht mehr für die Welt der Dinge an sich, sondern für die Welt als Erscheinung".[2]) Tunc mundus phaenomenorum simplex et compositus, conditionatus et inconditionatus etc. esset, vel vocabula ista nullum prorsus haberent sensum. Ut ergo compertum habemus, antinomiae kantianae omni vi carent, nec principiorum ad r e s i n s e applicabilitatem refutant ullo modo.

11. Secundum doctrinam kantianam ipsae cognitionis nostrae res i. e. phaenomena omnino dependent a formis subjecto cognoscenti innatis. Nostris temporibus doctrina, formas cogitationis (vel accuratius: cognitionis in genere) ab evolutione cerebri etc. pendere asserens, crescit diffunditurque. Evolutione ac hereditate omnes organismi novas acquirunt formas. Eodem modo intellectus novas cogitationis formas („formes de

---

[1]) Krit. d. r. Vern. Elem. II. T. II. Abt. II. Buch. II Hauptst. 8. Abschn.

[2]) Opus cit. p. 41.

la pensée" — Herbert Spencer[1]) „historische Categorien des Denkens" — Paulsen[2]); etc.) acquirit. Quod intellectui prius incomprehensibile (ergo impossibile aliquid, ut hujusmodi philosophi tenent) erat, jam comprehensibile (verum) fit, quia intellectus novam acquisivit cogitationis formam.

Doctrinae huic in singulis partibus discutiendae supersedemus — ea tantummodo, quae intra ambitum dissertationis nostrae continentur, prosecuturi. Nullas cogitationis formas acquisitas (sensu evolutionistarum) dari, sed intellectum semper iisdem niti principiis fatemur. Citantur ab aliquibus auctoribus quaedam propositiones, quae prius incomprehensibiles (ergo: falsae) habebantur, nunc autem omnino comprehensibiles (ergo; verae) sunt. Sic v. gr. impossibile esse: antipodos existere; impossbilem esse actionem in longinquum; etc. (In citato opere J. St. Millii invenies similes propositiones abundanter collectas).

Quibus non obstantibus nos affirmanus: iisdem principiis nissum esse intellectum, quamdiu citatas propositiones comprehendere nequibat, iisdem principiis intellectum niti nunc, cum comprehendit jam easdem propositiones. Sed prius intellectus non apprehendebat motivum, quod si etiam nunc non apprehenderet, citatae propositiones ei item incomprehensibiles essent. Cognoscimus quidem res, ut in se sunt, sed in tantum, in quantum conceptus habemus de iis. Quodsi novum in re amimadvertimus motivum, si novum de re acquirimus conceptum, de eadem re omnino aliter judicare possumus, quam prius judicavimus. Sic v. gr. homo rudis solem parvum putat. Quod judicium meris oculorum testimoniis fundatur. Hominem rudem omnino fugiunt motiva, quorum gratia vera solis quantitas noscitur. Et quamdiu intellectus ista motiva ignorat, solem tantum, quantum revera est, judicare nequit. Secus false judicaret, cum nullam judicii sui rationem adducere posset. Nova ratio ju-

---

[1]) In opere citato auctoris: Garigou-Lagrange p. 52.

[2]) Im. Kant, sein Leben u. seine Werke (1899.) p. 399.

dicium exigit novum, at *intellectus* sc. *judicandi principia semper eadem manent*. Actio in longinquum v. gr. solis in terram et viceversa — etiam nunc incomprehensibibilis manet absque nullo terram inter et solem medio posito. Etenim nihilum absolutum actionis medium esse nequit, cum, quidquid actionis medium est, *etiam ipsum agatur*, atque nihilum absolutum agere non possit. Quodsi igitur animadversum est: solem in terram agere, necessarium est accipere aliquod medium, atque inquirere: quodnam sit? aeterem ubicunque praesentem vel aliquid aliud?

In hoc plane et fundatur possibilitas scientiarum progressus, quod *idem* intellectus *iisdem principiis* nixus advertere potest falsitatem prioris judicii sui, quamdiu ipsum latebat novum motivum, atque eodem tempore cognoscere veritatem novi judicii sui novo motivo fundati. Si autem formae cogitationis mutabiles revera existerent, „falsum" et „verum" nullum haberent sensum. Si nempe aliqua propositio mihi nunc, postquam novam cogitationis acquisivi formam, comprehensibilis facta est, prius autem, cum nova ista cogitationis forma carebam, incomprehensibilis erat, propositionem istam nunc secundum *hanc*, nunc secundum *illam* formam (i. e. secundum *varia* principia) judicavi, ideoque mihi propositio jam vera, jam falsa videbatur. At secundum varia, inter se contradictorio modo opposita principia, quaevis propositio nunc falsa, nunc vera videtur. Quare nisi semper *iisdem* uteremur principiis cognitionis, nisi quamvis propositionem *eadem mensura* (i. e. iisdem cogitationis principiis) metiremur, omnis propositio vera simulque falsa esset. Vel igitur „verum" et „falsum" nihil significarent, vel omni ad distinguendum inter verum et falsum facultate prorsus destituti essemus. Sic v. gr. si in mathesi nunc: $1=1$, nunc: $1=\frac{1}{2}$, nunc: $1=0$; etc. esset, quaevis veritas mathematica et vera et falsa esset. De facto: impossibilis esset scientia mathematica. Item si principia cognitionis prima essent variabilia, scientia in genere impossibilis esset.

(Neque comprehensibilitas vel incomprehensibilitas alicujus propositionis criterium sufficiens est veritatis (respective: falsitatis) ejusdem propositionis, ut aliqui philosophi docent, sed possibilitas — respective: necessitas vel impossibilitas ejus. Quod exquisite demonstrat card. Mersier in sua „Criteriologia.“[1])

[1]) D. Mersier: Critériologie générale §. 121. (Louvain 1899.)

III.

DE PRINCIPIORUM IN COGNITIONE MUNERE.

1. Res principiis necessario subditas esse, item: intellectum iisdem principiis necessario regi, in capite praecedenti demonstravimus. Accuratius nunc solvenda esset quaestio: quomodo intellectus, rerum cognitionem sibi comparans, principiis utatur? i. e. quomodo principia in organismum cognitionis nostrae ingrediantur? (Processus igitur principiorum psychologico-logicus analysandus esset Cum autem processus iste quam maxime complexus sit, ad analysim ejus, saltem plus minusve completam, plurimae quaestiones poni deberent; item fere dicendum de iis, de quibus in IV. capite disputabimus; quare in istis capitibus aliqua summario dumtaxat modo citare, aliqua vero praeterire cogemur.[1])

Prima objicitur quaestio: quid nobis principia sint? quid dent?

Alii alia respondent philosophi. Sic J. Locke in libro suo „De intellectu humano"[2]) de principiis („axiomatibus theoreticis") disputans concludit:

„Primo: (ex dictis patet) ea (sc. axiomata) haud usui nobis esse ad minus generales et per se claras propositiones probandas aut affirmandas.

---

[1]) Potiores tamen quaestiones, quas in his capitibus praeterii, alia occasione prosequi tentabo.

[2]) (Lipsiae 1709.) Lib. IV. c. 7. §. 11.

Secundo: Haud minus patet: non ea fundamentum esse, quibus scientia quaevis subnixa fuerit.

Tertio: nullius nobis usus sunt ad progressus in scientiis aut latentes adhuc veritates aperiendas".

Verumtamen longe abest, ut istae conclusiones sint verae. Munus enim principiorum in cognitione nostra praevalet. Principia sunt canones fundamentales, secundum quos cogitamus (judicamus); suntque fontes illius lucis, cujus gratia materiam cognitionis ad ordinem aeternitatis et necessitatis referre valemus.

Sicut omnes canones ita etiam principia prima materiam, de qua agunt. supponunt, non etiam suppeditant Omnis materia cognitionis primaria (ut v. gr. sol, aqua, rectum, magnum, vivere, etc.) per sensus nobis suppeditatur. Quae materia cognitionis primaria est. Est adhuc materia cognitionis secundaria, quam per principium rat. sufficientis postulamus (puta: ut Deus, anima, substantia, etc.); secundaria autem ideo dicitur, qu a subsequitur primariam — ita, ut sine hac illa nobis nunquam innotesceret. Ideo nec possumus dicere: principium rat. sufficientis per excellentiam nobis materiam cognitionis suppeditare. Nam istud principium (ex natura sua) solum nexum inter rationem et rationatum (causam inter et effectum) respicit. Nihil amplius. Demum posito effectu aliquid conjicere possumus de notis causae, sed hoc ex notis effectus fit, non autem ex mero rat. sufficientis principio.

Sine ulla materia cognitionis principia nihil valerent; sed nec ipsa nobis innotescerent. Igitur principia non sunt habenda fontes ex quibus (sicut ex praemissis syllogismi consequentiam) omnem ulteriorem cognitionem nostram haurire possemus. Principia vim suam exercent, demum posita materia. Cui materiae principia nihil superaddunt. Ne jota quidem essentiae rerum reali principia superaddunt. Non rebus, sed ipsi naturae cognitionis nostrae principia totam vim suam communicant. Et quidem:

1º) principia cognitioni nostrae imprimunt characterem cognitionis absolutae; absque principiorum cognitione impossibile esset cognoscere quamcunque veritatem in se necessariam;

2º) vi principiorum cognitio nostra velut organismus quidam fruitur vita interna; unitas enim, firmitas et necessitas, organismum cognitionis nostrae qua talem sustinentes, a principiorum cognitione procedunt;

3º) item mundum externum ut aliquid totum in se, ut organismum aliquem, ope principiorum concipere valemus; sc. principiorum ope cognoscimus dependentiam rerum mundi ad invicem;

4º) ope principiorum phaenomenorum finibus egredi, a sensationum recedere cursu, res in se investigare, leges naturae detegere i. e. veritates latentes, ut cum Lockeo loquamur, aperire valemus; cognitaque rerum natura (sc. cognitis naturae legibus) varia elementa ad unum coadunare finem; etc.

5º) ope principiorum acquirimus conceptus necessitatis, possibilitatis, impossibilitatis etc., qui conceptus cognitioni nostrae gravissimi sunt momenti; eodem modo acquirimus ideas substantiae, animae, Dei, etc. i. e. mere spiritualia attingimus;

6º) tantum principiorum ope de rebus judicare (stricto hujus vocabuli sensu) possumus. Cum igitur principia tale nobis praestent munus, eorum ope homo saecula transacta animo penetrat, futura delineat, ubicunque principium (primam rationem) quaerit, ipsos suos corrigit sensus, mundum supra sensus jacentem investigat, etc. Quare principia cujusvis scientiae progressui maxime avent, fsane: illa sunt conditio sine qua non cujuscunque scientiarum progressus.

Quas conclusiones nostras ut verificemus, munus singulorum principiorum saltem in potioribus investisandum.

2. Ordiamur a principio identitatis.

Ob oculos habens „propositiones pure identicas“ J. Locke dicit:

„Primo intuitu patet: nullam in his cognitionem contineri. Quando etenim idem terminus de se ipso affirmatur, sive pure sit verbalis, sive claram aliquam aut realem ideam in se contineat, propositione ista, sive a nobis fiat, sive ab alio proponatur, nihil est non antea cognitum. Fateor equidem: generalis ista: quidquid est, est, hominibus nonnunquam usui esse potest, ostendendo, quam absurde agant, quando per verborum ambages, aut terminos aequivocos, in singularibus, idem de ipso negare velint; - - - Dicendum tamen puto: neque receptum communiter axioma illud, nec aliam quamvis propositionem identicam quidquam nos docere“.[1])

Locke hic de propositionibus pure identicis dicit. Et donec de propositionibus dumtaxat agitur, plus minusve vera sunt, quae a Lockeo proferuntur. Verumtamen Locke in citato opere suo de facto non de propositionibus, sed de ipsis principiis disserit. Ipse quidem fatetur: se demonstrare intendere: „quam minima sint momenta ad cognitionem nostram dirigendam iis principiis ingenitis, quae generi humano inesse vulgo consetur“.[2]) Quae igitur ab illo de propositionibus identicis dicuntur, de ipso identitatis principio intelligenda sunt. Quo supposito conclusiones Lockei, supra citatae, prorsus carent fundamento. (Postea enim videbimus: inter principiorum propositiones et ipsa principia certam interesse differentiam. Principiorum propositiones, ut comperiemus, non ipsa sunt principia, sed jam eorundem effectus. Quare Locke, haec duo confudens, ipsam principiorum naturam de facto non attigit.)

Munus principii identitatis longe latius patet, quam primo apparet aspectu. Illae enim notae, quas principia in genere nostrae impertiunt cognitioni, praeprimis ab identitatis principio procedunt; fundamentum enim hoc est ceterorum principiorum.

---

[1]) Opus cit. L. IV. c. 8. §. 2.
[2]) Ibid. L. I. c. I. §. 22. Item: L. IV. c. XII. §. 3.

Principio identitatis, ut compertum habemus, cognoscimus rem (ut objectum est aliquod) fixo et determinato modo i, e. absolute. Cognitionis humanae objecta a Humio divisa in a) relationes repraesentationum et b) in facta. Relationes repraesentationum secundum Humii opinionem solo agnoscuntur intellectu, et quidem modo absoluto. Idem nos profitemur. Sed tales repraesentationum (idearum, conceptum) relationes i p s o agnoscuntur i d e n t i t a t i s p r i n c i p i o.

Relatio „repraesentationum" duplex esse potest: vel a) relatio unius rei ad se ipsam vel b) ad alias res. In utroque casu invenimus u n i t a t e m n u l l o m o d o d i s s o l u b i l e m i. e. a b s o l u t a m Sic quoad a) casum: Quod est, est (quod est); A=A; etc.

Quoad b) casum: 2+3=5; Dum scribo, existo; ubi duos conceptus sc. „scribere" et „existere" comparavi respectu unius ejusdemque rei (τοῦ ego), atque inveni absolutam necessitatem relationis inter istos duos conceptus; quae relatio in eo stat, quod „scribere" nullo modo potest esse sine „existere" (in unitate reali).

Nec talis absolutae necessariarum relationum cognitio asserenda est vana. Nam absque cognitione ista impossibile esset aliquod formare judicium. Porro: tota cognitio nostra intellectualis judiciis constat.

Omne judicium nihil aliud est quam r e l a t i o expressa inter duas ideas: sc. subjectum inter et praedicatum. Praedicare aliquid de subjecto significat asserere: praedicatum inesse (vel non inesse) subjecto i. e. asserere: i d e m, quod praedicato exprimitur, in subjecto inveniri. Inde quodvis judicium ope principii identitatis fieri, quodvis praedicatum p e r i d e n t i t a t e m[1]) subjecto attribui patet. Praedicati cum subjecto

---

[1]) Inde manifestum: doctrinam Kantii de judiciis „syntheticis a priori", in quibus praedicatum cum subjecto sine respectu ad identitatem conjungi deberet, fundamento prorsus carere. Contradictio enim in adjecto esset, si aliquid de subjecto praedicarem, quin i d e m in subjecto apprehenderem; nisi identitatem (respective: repugnantiam) praedicati cum subjecto agnoscerem, quomodo possem asserere?

Identitas potest esse vel a) inconditionata (necessaria, essentialis); sc. quando praedicatum propter ipsam subjecti essentiam attribuitur subjecto[1]); vel b) conditionata (non necessaria, accidentalis); sc. quando praedicatum attribuitur subjecto propter accidentia ejusdem. (Notandum: in propositionibus negativis praedicatum a subjecto respectu principii identitatis excludi. V. gr. Homo non est lapis. Dum hominem et lapidem aequiparare volumus, eos unum extra alium invenimus. Quod citata propositione etiam exprimitur.)

Praeprimis ab identitatis principio cognitio nostra vitam obtinet internam.

Identitas (in genere) triplex est: a) identitas absoluta; dum sc. et res eadem et conceptus idem est (utpote: A=A); b) identitas realis tantum; dum sc. res eadem manet, conceptus autem varii sunt (sic de Deo: omnipotens, ens a se; creator; etc.); denique c) identitas conceptualis tantum; dum sc. res (individua) variae sunt, conceptus autem idem manet (sic „homo“ de Petro, de Paulo etc.)

Quae identitatis species nihil aliud sunt quam ipsum identitatis principium in variis muneribus suis. Videamus ergo ejusdem principii processum citatis in casibus.

Quoad casum a) fere nihil plus dicenda sunt iis, quae jam protulimus. Identitate absoluta intellectus, dum quid concipit semper utitur — attamen implicite tantum. Omnis res ipsamet esse — simpliciter supponitur, per se intelligitur. Exprimitur autem hoc, quotiescunque intellectus necessum habet (ut puta: 1=1, vel quando nobis explicite formamus principium identitatis: Quidquid est, est; etc.).

Quoad casum b) sc. ubi res eadem est, conceptus autem varii.

---

[2]) Quod accidit, quando praedicatum ad subjectum refertur vel ut a) species, vel b) genus, vel c) differentia vel d) proprium, si subjectum ipsum species vel genus est.

Et imprimis distincte scire debemus, quid de facto talis identitas significet? i. e. quo supposito varios conceptus in unitatem (in identitatem realem) redigere possimus?

Identitas de facto una tantum i. e. *absoluta*. Ceterae identitatis duae species de facto *abreviationes* sunt identitatis absolutae. Praesente identitate reali adest conceptualis et viceversa. At per abreviationem, intellectui nostro omnino necessariam, frequentissime non exprimimus (sed implicite tantum supponimus) identitatem vel conceptualem vel realem.

Duo *conceptus* v. gr. de Deo: „ens a se" et „creator" *qua tales* non sunt identici. In mente mea aliud „ens a se", aliud „creator" significat. Conceptus „ens a se", *ut conceptus*, solum cum se ipso identicus est. Quare eum cum conceptu „creatoris" *solum respectu realitatis*, quam utrique respiciunt, identificare possum. Quod perficere nequeo, quamdiu non habeo etiam implicitum conceptum de identitate realitatis, ad quam „ens a se" et „creator" pertinent. Igitur enuntiando: ens a se = creator, simul implicitum debeo habere conceptum: Deus (ens a se) = Deus (creator).

Quod evidens fiet ex exemplo sequenti: Triangulum (in geometria euclidiana) est figura clausa, rectilinea, cujus angulorum summa semper 180^0 facit. Inde „triangulum" (in geometria ≶)[1]) et „figura clausa, rectilinea, cujus angulorum summa semper 180^0 facit" identica sunt. Qui cognoscit leges trianguli, si ab eo quaeras: Quae sit figura clausa etc. 180^0 facit? — ille tibi statim respondebit: triangulum. At homo rudis inter conceptum „trianguli" et „figurae clausae, rectilineae etc. 180^0 facit" *nullam identitatem* apprehendet. Qui igitur aequiparat duos istos conceptus, respectu rei hoc facit i. e. de facto *rem cum illa ipsa*, non autem conceptus ut tales aequiparat. Ex

---

[1]) Geometria Euclidis per ≶, geometriae non euclidianae (Riemann, Lobaczewski) per S designantur.

quibus patet: identitatem de facto semper absolutam esse.

Ope principii identitatis redigimus plures conceptus (vel metaphorice: individua logica) in unum reale. Tota mathesis hoc dumtaxat processu possibilis est. Item quaecunque alia scientia (praesertim illa, in qua methodus deductiva aptissima est). Quae enim de objecto separatim cognoscuntur, processu laudato in unum reale (cognitum) rediguntur.

Demum quoad casum c) ubi sc. idem conceptus est, res autem variae.

Ope identitatis principii acquirimus etiam ideas generales. Intellectus noster proprie cognoscit formas rerum sc. id, quod ab Aristotele et a scholasticis „quod quid est', dicebatur. Cum pluribus in individuis eandem inveniamus formam, eam — principio identitatis conceptam — retinemus, ipsa autem individua qua talia praeterimus.

Quo processu innumerabilia individua realia in unum logicum (potius: metaphysicum) redigimus. Acquirimus nimirum ideam generalem de individuis totius generis quam simul tam seorsim praedicabilem (sic „homo" de omnibus hominibus i. e. de toto genere humano et de Paulo seorsim). (Ideae generales ut immutabiles, aeternae, necessariae in se concipiuntur. Sicque ille idearum mundus, quem Plato docuit, revera existit, sed in mente nostra. Verissimum autem, quod Plato de idearum mundo docuit, utpote: nisi ille existeret, scientia impossibilis esset, cum impossibilis sit scientia de iis, quae continuo mutantur, — excipe tamen: nisi per ea, quae immutabilia sunt i. e. per ideas ordinis metaphysici.)

Quaevis idea generalis per identitatem absolutam de individuo, cujus essentiam exprimit, praedicatur. Ideo v. gr. praedico „hominem" de Petro, quia in Petro hunc (sc. essentiam humanam) invenio. Ut patet, etiam in casu c) semper adest identitas absoluta i. e. tum realis tum conceptualis.

Ope principii identitalis etiam ratiocinamur. „Ratiocinium est operatio mentis, qua duae ideae comparatae cum eadem tertia, perspecta earum identitate vel diversitate, invicem praedicantur vel negantur"[1]).

Terminus medius in syllogismo nihil aliud est quam idem conceptus (eadem natura logica vel metaphysica) in duabus variis propositionibus.

Item inductionem ope principii identatis perficimus. Postquam in pluribus certae speciei individuis eadem animadvertimus facta, ex istis factis unam facimus naturam metaphysicam, quam omnia ejusdem speciei individua participant.

Progedimus in syllogismo per unum logicum (vel metaphysicum), quod terminus medius est, ad distincta realia descendendo; in inductione vero: per distincta realia ab unum metaphysicum ascendendo.

*

Quae hucusquae pertactavimus, etiam aliter aspici possunt. Videlicet: Quaecunque fiunt, rationem habent. Judicia fiunt; quae est ergo ratio eorum?

Ex prolatis facile nobis patebit: rationem cujusvis judicii ultimam per principium identitatis suppeditari. Ideo sc. praedicatum subjecto attribuimus, quia idem, quod praedicatum exprimit, in subjecto invenimus.

Quod tamen semper non est tam facile (vel primo intuitu) animadvertere, ideoque intellectus auxilium a processibus, quos jam prosecuti sumus, petit; vel) sc. a) per unum logicum (metaphysicum) ad varia realia, vel b) per unum reale ad varia logica (metaphysica) procedendo. Quare (cum sc. laudati processus ope principii identitatis fiant) rationem ultimam principio rationis sufficientis ordinis logici [2]) semper principium identitatis suppeditat.

*

---

[1]) C. Willems: Instit. philos. I. p. 201. (Treveris 1906.)
[2]) De eodem principio paulo post plura dicemus.

A principio identitatis, ut diximus, novus incipit ordo, quo intellectus supra phaenomena sese elevat: orditur sc. cogitatio pura. Qua cogitatione acquiruntur conceptus necessitatis absolutae (principio identitatis), impossibilitatis absulutae (principio contradictionis), possibilitatis (principio rat. sufficientis). Absque principiis istos acquirere conceptus impossibile esset. Rectissime notat A. Trendelenburg: „Ohne Denken gäbe es weder Mögliches noch Notwendiges, sondern nur Wirkliches"[1]) (i. e. in cognitione, non verô in ordine reali).

2. De principii contradictionis munere eadem fere, quae de principio identitatis diximus, dicenda videntur. Etenim quandocumque aliquid affirmamus, oppositum contradictorium eo ipso negamus Expressa affirmatio est simul implicita negatio negationis sui ipsius (sc. affirmationis contradictoriae). Inde patet: a principio contradictionis idem omnino exprimi, quod a principio identitatis, sed in forma negativa. Affirmando v. gr. Deus est, eo ipso negamus propositionem: Deus non est. Igitur quandocumquae principio identitatis, simul principio contradictionis utimur. Quod tamen indirecte tantum facimus. Superfluum enim est aliquid affirmare atque oppositum explicite negare, sicut advertit card. Cajetanus: „vanum autem est: postquam affirmavimus aliquid de aliquo addere negationem contradictorii ab eodom; sufficit enim affirmasse (quia superfluitatem demonstratio abhorret)"[2])

In discussionibus, inquisitionibus etc. principium contradictionis aptius principio identitatis. Et quidem propter rationes: a) identitatis principium tam simplex est, ut illo fere nihil exprimi videatur; b) in eodem principio ne mentio quidem negationis continetur. At in cognitione nostra duo sunt poli extremi: affirmatio sc. et negatio. Quare principium, in quo tam affirmatio quam negatio essentialiter continentur, magis toti cognitionis nostrae naturae accommodatur, sicque aptius

---

[1]) Logische Untersuch. I, I. 4. (p. 13).

[2]) Comment. in I. Poster. Anal. XII.

fit ad argumentationes etc. Tale autem est contradictionis principium.

Inde **ultima instantia** in omni argumentatione, in omni ratiocinio est principium contradictionis. In omni sc. raticinio attendimus, ne contradictoria de eadem re asseramus.

Nota argumentatio sic dicta: **perductio ad absurdum**. Consistit in hoc, ut arguendo ostendamus: contradictoria asseri debuisse, si aliquam propositionem ut veram acciperemus.

Contradict onis principium non raro **stimulat nos** ad veritatem investigandam. Quod evenit, quando aliqua res esse nec esse simul videtur. Talem idearum pugnam intellectus non sustinens modum, quo res de facto est, cognoscere vult.

Haud plus de principii contradictionis munere dicendum esse videtur.

3. Principium rat. sufficientis ad duos refertur ordines: a) ad ordinem mere logicum et b) ad ordinem realem.

Principio rat. sufficientis **in ordine logico** singula cognitionis nostrae membra conjungimus, in organismum redigimus. Isto sc. principio nixi nexum causalem (potius: rationalem) **inter cognitionem et cognitionem, qua talem**, i. e. inter judicium et judicium concipimus. V. gr. Cur in 10 m^2 inveniantur 1000 dm^2. — **Ratio**: Quia in 1 m^2 inveniuntur 100 dm^2. Quae duo judicia ut effectus et causa ad invicem referuntur. Tali processu, conjungendo sc. judicia nexu causali inter se, quamcunque scientiam (utpote: mathesim, metaphysicam etc.) **in unum systema** (logicum) redigimus; similiter etiam totam cognitionem nostram.

Rationis sufficientis principio **in ordine reali** nexum causalem **inter rem et rem** concipimus. Quo processu comperimus dependentiam ordinationemque rerum et virium ad invicem. Inde totum cognitionis nostrae **mundum** (realitatem, quam cognoscimus) ut aliquid unum in se, ut organismum, in quo causae priores, posteriores etc. dantur, concipere valemus.

Cognoscere virium ad invicem in aliqua re ordinationem, ipsam internam rei naturam sibi patefacere significat. Quo processu naturae leges homini innotescunt. Quare nulla scientia naturalis absque causalitatis principio possibilis esset. Etenim etiam leges naturae inquirere nobis omnino incomprehensibile esset, nisi causae effectusque conceptus haberemus. (Quod — ceterum — ex anteactis jam scimus.) Itaque principium rat. sufficientis (causalitatis) conditio est „sine qua non" ad ipsam rerum investigationem.

Ope ejusdem principii transcendimus, corrigimus, supplemus ipsos sensus nostros, rem, ut in se est, non autem ut nobis eam soli repraesentant sensus, cognoscimus. (Ut puta: quid sit vox in se sc. extra sensum nostrum? quid lux? etc. Item v. gr. cur res in loginquo posita oculis minor quam de facto appareat? etc.) Cognita, ut in se est, rerum natura, isti naturae quodammodo dominamur, cum varias variarum rerum vires in unum coordinare valeamus finem. (Ut v. gr. in construendis maxime varii generis machinis contingit.) Cognita videlicet rerum natura, homo jam a priori, qui ex re sequi possint, deducit effectus.

Denique per principium causalilatis pervenimus ad ea, quae nobis per sensus nullatenus manifestari possunt sc. ad suprasensibilia (ad ordinem metaphysicum). Ex effectibus nempe ad causas concludentes ad conceptum animae spiritualis. Dei, substantiae etc. pervenimus, harumque rerum naturam incomplete saltem cognoscimus.

Ex indicatis facile patet: princium rat. sufficientis prae ceteris principiis cognitionem nostram abundantem reddere, „ad progressus in scientiis, ad latentes adhuc veritates aperiendas", ut cum Lockeo loquamur, maximo nobis usui esse.

* * *

Quodsi principia fundamentum cognitionis rationalis revera constituunt, cum homo sit „animal rationale“, principiorum cognitione ab ipsa natura jam praeditus sit, oportet. Restat igitur nobis, ut hanc denique solvamus quaestionem.

IV.

DE PRINCIPIORUM COGNITIONE.

1. De principiorum origine specialiter non disseremus. Item processum, quo principiorum acquiritur cognitio, praeterimus — intellectus jam judicantis naturam inquisituri. Quare dumtaxat quaestionem: quomodo omnis homo judicans principia necessario cognoscat, solvere habemus. Respondent ad quaestionem (Lockeo principe) sensualistae: ab hominibus minus cultis principia prima omnino ignorari.[1]

At contra jam Artstoteles, sicut citavimus, principiorum cognitionem ab ipsa natura homini suppeditari docet. Quod s. Thomas clarius exponit: „Inquantum vero est naturaliter principium, sic patet, quod advenit habenti, et non habetur per acquisitionem".[2] „Ex ipso enim lumine naturali intellectus agentis prima principia fiunt cognita, nec acquiruntur per ratiocinationes, sed solum per hoc, quod eorum termini innotescunt".[3]

De eadem re accuratius tractat Leibnitz etiam processum principiorum (in quantum ab omni homine necessario cognoscuntur) indicans: „die allgemeinen Grundsätze sind in unserem Denken enthalten und bilden deren Seele und Zusammenhang. Sie sind so notwendig, wie die Muskeln und Sehnen zum Ge-

---

[1]) J. Locke; De intell. hum. L. I. c. 2. §. 12.
[2]) Comm. in Metaph. Arist. Lect. VI. in libr. IV.
[3]) Ibidem.

hen sind, wenn man auch nicht darauf denkt. Der Geist stüzt sich jeden Augenblick auf diese Grundsätze; aber es gelingt ihm nicht so leicht sie sich klar zu machen und sich deutlich und gesondert vorstellen, weil dies eine grose Aufmerksamkeit auf sein Tun erfordert, welche die meisten Menschen, zum Nachdenken wenig gewöhnt, nicht besitzen".[4])

Rem penitius ut intellegamus, distinctio facienda inter principiorum cognitionem a) spontaneam (naturalem, implicitam) et b) acquisitam (explicitam). Ut ipsae anuntiant denominationes, cognititio principiorum spontanea ab ipsa suppeditatur natura, cognitio autem acquisita reflexione subtili comparatur.

Fusius nunc inquirendum, quid ad unam, quid ad alteram istam principiorum cognitionem spectet? Quae intrinseca earum distinctio?

Cognitio principiorum acquisita est explicita formalisque cognitio tum comprehensionis (intensitatis) tum extensionis principiorum; cognitio autem principiorum spontanea est explicita solius principiorum comprehensionis cognitio. Principiorum comprehensio in ipsa eorundem intrinseca forma (in valore intrinseco), extensio vero in cognitione (expressa) valoris principiorum externi i. e. ambitus, in quo principia suam exercent vim, consistit. Idcirco cognoscere explicitas principiorum formulas, erit: habere cognitionem principiorum acquisitam.

Quae principiorum cognitio homines minus cultos latet. Vel si etiam proponas rudi explicitam formulam principii indentitatis aut contradictionis, ille formulas istas ut subtilitates aliquas habebit, nec facile, quid sibi velint, comprehendet. Quare libenter sensualistis concedimus: a rudibus principia expresse formaliterque non cognosci. Nihilominus, quicunque format judicia, principia aliquo modo cognoscat, oportet. (Secus judicia formare nequiret.) Rursumque notat Leibnitz: „Aber ich will noch hinzufügen, dass im Grun-

---

[4]) Neue Unters. ü. d. m. Verst. (Leipzig 1904.) p. 47. (Versio ex lingua galica).

de genommen jedermann sie (sc. Principien) kennt, und man sich z. B. jeden Augenblick des Grundsatzes des Widerspruchs, ohne besonders darauf acht zu haben, bedient. Kein Mensch ist so roh, dass er nicht in einer ernsten Sache von dem Betragen eines Lügners, der sich selbst widerspricht, verletzt worden sollte. So wendet man diese Grundsätze an, ohne sie ausdrücklich ins Auge zu fassen und das ist ungefär, wie wenn man in den Enthymemen die nicht ausgedrückten Vordersätze nur der Möglichkeit im Geiste hat, indem man sie nicht nur im Ausdruck, sondern selbst im Denken beiseite lätzt".[1])

Spontaneae principiorum cognitioni non ipsamet principia, ut expressa sunt, sed eorundem effectus expresse manifestantur. Cognoscere quamcumque rem ut illam ipsam, animadvertere absolutam repugnantiam inter quamcumque affirmationem et negationem, cognoscere causalitatis nexum — licet in casibus particularibus, hoc erit: implicite, naturaliter, sponte cognoscere principia. Ab ipsa intellectus natura sponte procedunt omnia, ad consciam cognitionem intellectualem necessaria, quin qua talia a nobis conscie animadvertantur, sed demum eorundem effectus. Idem de principiis (in quantum nobis ab ipsa natura suppeditantur) dicendum.

Utamur comparatione: Oculus percipit rem hac solum conditione, ut res in luce inveniatur; rem autem advertens, in ambitu rei visae non lucem ipsam, ut lux est, formaliter percipit, sed colorem figuramque rei. Oculo igitur formaliter manifestatur effectus lucis i. e. res visa in luce. Quodsi nunc oculum pro conscientia, lucem pro intellectu (in quantum hic principia cognoscit) sumamus, comparatio peracta cognitionem principiorum spontaneam (naturalem) nobis declarabit. Res, de qua intellectus judicat, clara est ei claritate principiorum, principia vero ipsa extra advertentiam manent.

---

[1]) Opus cit. p. 38.

Quod factum in rat. sufficientis principio magis dilucidare volumus. Ex experientia constat: etiam a parvulis, imo ab animalibus aliquem inter res causalem nexum adverti. Quae tamen adversio tota in animalium sensibus i. e. in mera consuetudine (sicut Hume de homine asserebat), et non forte in factorum intelligentia fundatur. At homo sponte ad causae effectusque conceptus (abstractos) pervenit: concipit eorum ad invicem relationem i. e. ipsum causalem nexum intelligit (licet principium causalitatis nondum formaliter cognoscat). Qui nexus, sicut ex anteactis nobis manifestum est, objectum solius est intellectus, atque innumerabilibus casibus particularibus applicari potest. Quod autem innumerabilibus casibus applicari valet, particularia trascendens, universale est.

Igitur res particulares in luce transcendenti (ex transcendenti, universali aspectu) exprimere, en primum potissimumque principiorum munus.

Cum prima, quae (explicite) cognoscimus, facta sint particularia, cognitio principiorum spontanea imprimis ad facta extenditur particularia. Distinctione inter cognitionem principiorum spontaneam et acquisitam rigorose peracta, oppositas de principiorum cognitione doctrinas in synthesim conjungere valebimus. Qui nempe principia innata docent, eadem, sicut expresse proponuntur (sc. tum comprehensive tum extensive), ab omnibus hominibus cognosci videntur putare (ut v. gr. Leibnitz). Qui vero principia innata infitiantur, nullas universales sed particulares cognitiones primas asserunt. Ita Locke (quod quidem recte): „Et licet qui artibus et operam dant, hoc ad generales formulas revocarunt: Quidquid est, est: atque: Impossibile est idem simul esse et non esse, ut quoties opus fuerit, ad eas revocantur; certissimum tamen est: facultatem hanc, cum primum exercetur, circa particulares ideas versari“.[1])

---

[1]) Opus cit. L. IV. c. I. §. 4.

Utriusque doctrinae synthesis: primo nimirum facta cognoscuntur particularia, sed ex aspectu universali.

Principia spectat (quoad eorum valorem) de omni re esse i. e. generalissima esse. Nequaquam tamen spectat principia, ut etiam qua talia i. e. generalissima expresse cognoscantur. (Extensio sc. principiorum valoris explicite cognosci non debet.) Huic enim natura ipsa alio, et quidem quam maxime practico, modo consuluit. Nullam sc. rem intellectus judicare valet, quin ei principia applicet. Igitur quidquid ab intellectu judicatur, secundum principia judicatur. Ex quo patet: principia ab intellectu de facto rerum universitati applicari.

Qui cognitione principiorum spontanea tantum gaudet, ab illo principia non apprehenduntur in formulis judiciorum generalium (utpote: Quidquid est, est; Nihil potest etc.), sed in formulis judiciorum particularium — utpote: Hoc est, (ergo) est; Hoc non potest esse simul et non esse; Hoc factum est, ergo habet causam.

Propositiones principiorum generales de facto generalisationes sunt istarum particularium — non tamen generalisationes ex experintia sed ex mera reflexione. (Paulo post comperiemus: vim principiorum, sive in forma particulari sive generali proponantur minime ab experietia dependere.)

Distinctio inter hominem cognitione principiorum spontanea tantum et inter hominem etiam acquisita cognitione gaudentem similis est illi, quae evenit inter duos homines, quorum unus certam linguam dumtaxat loquitur, alter praeterea etiam grammaticam novit. Uterque nimirum scit linguam, uterque possidet scientiam linguae, sed alter etiam scientiam de lingua habet, qua prior caret.

Intellectus evolutione eruditioneque acquirit homo cognitionem principiorum expressam i. e. acquirit scientiam (plus minusve completam) de principiis. Mo-

dum, quo hoc fit, determinat Aristoteles verbis,[1]) quae omnino paradoxalia apparent, nihilominus verissima sunt: „Naturaliter autem constituta est via ab iis, quae sunt nobis notiora et clariora, ad ea, quae sunt clariora et notiora natura; non enim eadem sunt et nobis nota et simpliciter. Quare necesse est hoc modo progredi, nimirum ex iis, quae natura quidem sunt obscuriora, nobis tamen sunt clariora, ad ea, quae sunt clariora et notiora natura. (3). Ea vero sunt nobis primum perspicua et manifesta, quae sunt magis confusa; deinde iis, qui haec dividunt, ex ipsis elementa et principia innotescunt".[2]) Similiter: „ita ex sibi notioribus, quae natura nota sunt, sibi facere nota".[3])

Analysando cognitiones particulares, quae primo a nobis acquiruntur clarioresque habentur, pervenimus ad cognitionem ipsorum principiorum, quae natura clarissima sunt. Ut patet: hic Aristoteles principiorum cognitionem acquiri docet. E contra: aliis in locis fatetur: principiorum cognitionem non acquiri, sed ex principiis et propter ea omnia alia cognosci. „Maxime autem scibilia sunt ipsa prima et causae. Propter haec enim et ex iis cetera cognoscuntur sed non haec per subjecta[4])". Similiter: „Quod autem cognoscere illum necesse est, qui aliquid cognoscat, necesse est, ut veniat habens illud (sc. contradictionis principium)'.[5])

Contradictio tamen apparens tantum. Ubi enim Aristoteles principiorum cognitionem non acquiri dicit, cognitio principiorum naturalis (spontanea), ubi vero principiorum cognitionem per facta particularia acquiri dicit, cognitio principiorum expressa (i e. scientia de principiis) intellegenda est.

---

[1]) Quae Aristotelis verba non specialiter ad ipsa principia prima, sed ad processum cognitionis in genere spectant.

[2]) Nat. ausc. L. I. c. I. (2—3).

[3]) Metaph. L. IV. c. IV. (1. et 2.)

[4]) Ibid. L. I. c. II. (5).

[5]) Ibid. L. III. c. III. (7).

Acquiritur autem expressa principiorum cognitio ope cognitionis principiorum naturalis, quando vel in ipsum ens metaphysicum vel in naturam intellectus judicantis reflectimus.

Modus, quo intellectus principia cognoscit, non sunt aliquae principiorum formulae, sed ipsa intellectus *intuitio* in τὸ esse. Et dum quid intellectus judicat, ista principiorum cognitione naturali uti cogitur. (Secus impossibile est quidam concipere.) Licet aliquis (ut v. gr. Hume) negaverit v. gr. causalitatis principium ab intellectu procedere, nihilosecius ipsemet eodem principio uti cogitur. Quare enim causalitatis principium negavit? Etiam ipse causam (rationem) aliquam ob mentis oculos habuit; quod significat: ipsum connexionis causalis forma in cogitando usum esse.

Similiter etiam in ceteris, quaecunquae de necessitate principiorum psychologico-logica diximus, intellegenda est cognitio principiorum naturalis (spontanea) tantum. Quae autem de necessitate principiorum objectiva protulimus, in his principia expresse proposita intellegenda.

2. Cognitionis vera directaque principia, ut ex dictis facile nobis constat, ea sunt, quae in ipsa intellectus intuitione continentur. Ab his evidentia tum generalibus tum particularibus veritatibus (experientia confirmante) suppeditatur. Propositiones principiorum consuetae (sc. generales) jam effectus sunt illorum, quae in intuitione intellectus continentur, principiorum. Principia, in simplici intellectus intuitu contenta, omnem cognitionis materiam respiciunt, sed nondum ullam habent; omnem materiam *antecedunt* ac *transcendunt*, nec ideo ab ulla dependent. Nihil in iis inventur, *quod* judicetur, sed solum *quo* judicetur. Principia praeprimis *formalitatem ipsius* cognitionis, non vero leges vel notas hujus aliusve rei determinatae respiciunt; praeprimis igitur *ordinantur*, *ne contradictio formalis* (in quantum sc. haec ab ipso dependeret intellectu) *in judicio reperiatur* — vel positive: ut rectam praedicati cum subjecto synthesim intellectus perficere queat.

Quare quodcunque judicium, in quo praedicatum cum subjecto necessitate connectitur inconditionata, principiorum particularis expessio est. Talium enim judiciorum veritas per ipsa solaque principia, quin ab experientia (antecedentem) comprobationem necessariam habeat, evidentia gaudet.
Ipsius judicii, in se necessarii, forma nihil in re mutat. Aut enuntio: Cogito, ergo sum;[1]) (forma judicii particularis) — aut: Quidquid cogitat, est; (forma generalis), in utroque casu de eodem agitur sc. de relatione τοῦ cogitare (agere) ad τὸ esse (in unitate reali). In utroque casu intellectus immediate (absque aliquo syllogismo) videt praedicati cum subjecto identitatem i. e. connexionem necessariam.

Quare forma judiciorum in se necessariorum generalis non a factis particularibus abstrahi debet, sed jam ex ipsa reflexione in praedicati cum subjecto nexum (in casu particulari vel uno) statui potest. Ideo talium judiciorum „generalisatio" non fit propter experientiam,[1]) sed a priori i e. solo perficitur intellectu, cum sola intellectus judicantis principia eam evidentissime verificent. Ita v. gr. ex sola reflexione in propositonem: Hoc non potest simul esse et non esse, — jam cum absoluta certitudine possum deducere: Nihil potest etc. Verissima sunt Leibnitzii verba: „Der ursprüngliche Beweis der notwendigen Wahrheiten kommt allein von Verstande" — „die Sinne können diese Wahrheiten anregen, rechtfertigen und bestätigen, aber nicht ihre unfehlbare und immerwährende Gewissheit beweisen„.[2])

In enuntiationibus vero in se non necessariis (qualiscunque earum forma) sola principia nondum

---

[1]) Haec propositio est Cartesii „veritas prima" (Princ. phil. p. 1, 7.), quam ille ipsa mentis intuitione absque syllogismo aliquo cognosci tenet, in quo nos quoque illi omnino assentire possumus.

[1]) Experientia — nimirum — potest esse judiciorum necessariorum generalisationis conditio, sed nunquam causa totalis (formalis).

[2]) Opus cit. p. 43.

sufficient ad praedicatum cum subjecto per necessitatem jungendum. In his enim judiciis, ut scimus, praedicati cum subjecto identitas conditionata est, et quidem experientiae labore. V. gr. Stella Mars est planeta; (forma particularis); Omnes stellae sunt planetae; (forma generalis).

In utroque isto judicio praedicati cum subjecto identitas ab experientia conditionatur i. e. judicia ista confirmationem necessariam habent ex parte materiae, de qua agunt, determinatae. Judicium particulare a propria materia particulari, judicium generale ab individuis totius generis verificari debet. Ideoque quodvis judicium generale, experientiae ope comparatum, tantum veritate gaudet, quantum in singulis generis (vel speciei) individuis verificatur; itaque ab experientia omnino pendet.

Omnia judicia aliquam materiam spectant determinatam. Quam materiam nos omnino a posteriori i. e. ex experientia cognoscimus. Quare in quovis judicio, etiam in judiciis in se necessariis, ast aliquid a posteriori **specialiter** cognitum sc. materia judicii determinata. Vr. gr. Summa angulorum in quocunque triangulo (in geometria $\lessgtr$) semper adaequat 180^0. Quod judicium ut intelligatur, materia specialis cognosci debet sc natura trianguli. In judiciis in se necessariis modus tantum, quo judiciorum materia cognita fit, a priori cognoscitur.

Principia autem prima omnem materiam determinatam transcendunt et antecedunt, itaque maxime a priori sunt, cum in iis nihil, quod a posteriori **specialiter** cognosci debeat, reperiatur. Principia spectant totum ambitum, cujus res determinatae participes esse possunt, i. e. ipsum esse. Quod specialiter — certe — cognosci non debet Etenim, ut s. Thomas dicit: „nec aliquid mente concipi potest, nisi intelligatur ens"[1]). Ideo neque principia generalisationes ex experientia esse possunt, cum — videlicet — ens non sit genus; nec ea, quae de ente sunt, de aliquo

---

[1]) Locus cit. (cf. Prolegomenon).

genere, sed transcendentia sunt. Talia igitur principia.

3. Omne judicium, sive particulare sit sive generale, cognitionis amplificatio est. Principia vero, ut in intellectus intuitione continentur, nulla cognitionis amplificatio, sed sola cognitionis intellectualis conditio sunt. Principia in intuitione intellectus dumtaxat in potentia sunt. Illa, ut sic dicam, semina sunt in intellectu latentia, quibus si alius generis semen (sc. materia cognitionis) adveniet, actualis cognitio nascetur. Quaevis igitur cognitio actualis (sc. judicium) unio est intellectus ac materiae cognitionis. Ab intellectu natura cognitionis i. e. modus, quo res cognitae fiunt, a materia (cognitionis) argumentum (Inhalt) procedit; ab intellectu „anima", a materia „corpus" cognitioni nostrae suppeditatur.

Cujus (cognitionis nostrae) „animae" naturam (sc. quae sint vires ejus? et quomodo ad invicem referantur?) — pro modo nostro — cognovimus. Disserentes enim de cognitionis principiis, de „anima" cognitionis nostrae disseruimus.

FINIS.

Opera, quibus ad dissertationem usus sum:

Aristoteles: Liber metaphysicorum;
„ : Natural. auscultationum;
„ : Analytica I. et II. (Parisiis 1883.)
St. Thomas: Commentarii in Metaph. Aristotelis;
„ : De veritate; (Parmae 1866.)
Ren. Cartesius: Principia philosophiae;
„ : De methodo; (Amstelodami 1644.)
David Hume: Eine Untersuchung über d. menschl. Verstand, (Versio ex lingua anglica. Leipzig 1911.)
Baruch Spinoza: Ethica.
John Locke: De intellectu humano; (Lipsiae 1709.)
G. Wilh. Leibnitz: Neue Untersuchungen über d. menschl. Verstand. (Versio ex lingua gallica. Leipzig 1904).
Im. Kant: Kritik der reinen Vernunft;
„ : Prolegomena; (Editio „Reclam").
Ad. Trendelenburg: Logische Untersuchungen. T. I. et II. (Leipzig 1862.)
J. St. Mill: System d. deduktiven u. induktiven Logik. (Versio ex lingua anglica. Braunschweig 1868.)
Arth. Schopenhauer: Ueber die vierfache Wurzel des Satzes vom zureichenden Grunde. (Leipzig 1908.):
„ : Die Welt als Wille u. Vorstellung. (Editio „Reclam").
Fr. Alb. Lange: Geschichte des Materialismus I. et II. T. (Leipzig 1940.
Herm. Cohen: Kants Theorie der Erfahrung. (Berlin 1885.)
Dr. Fr. Erhardt: Kritik der kantischen Antinomienlehre. (Leipz. 1888.)
Card. *Zigliara:* Summa philosophica. (Editio VI.)
D. Mersier: Critériologie génerale;
„ : Psychologie;
„ : Logique; (Louvain 1899.)
Fr. Paulsen: Einleitung in die Philosophie (1910.)
„ : Im. Kant, sein Leben u. s. Lehre (1898).
Ch. Sentroul: Kant und Aristoteles (1911.) (Versio ex lingua gallica).
Osw. Külpe: Einleitung in die Philosophie (V. editio);
„ : Philosophie d. Gegenwart in Deutschl. („Aus Natur u. Geisteswelt" editio).
K. W. Jerusalem: Einleitung in d. Philosophie (1898).
W. St. Jevons: Leitfaden der Logik. (1906). (Versio ex lingua anglica).
Paulhan: La logique de la contradiction (Paris 1911).
G. Garrigou-Lagrange: Les preuves de Dieu (Paris 1911).
C. Willems: Institutiones logicae (Treveris 1906).
Dr. G. Hagemann: Logik u. Noetik (Freiburg in Br. 1903).
„ „ Psychologie (1911).
Du Bois-Reymond: Über die Grenzen des Naturerkennens. (V. editio).
Dr. Emil Walz: David Humes Beurteilung in der Geschichte der Philosophie. (Phil. Jahrbuch. 1909. I. Heft.)
Dr. L. Busse: Die Weltanschauungen d. grossen Philosophen der Neuzeit. („Aus Natur u. Geisteswelt" editio).
K. Werder: Logik als Kommentar u. Ergänzung zu Hegels Wissenschaft der Logik. (Berlin 1841.)
Varii cursus philosophiae auctorum scholast. (utpote: Lehmen, Tongiorgi, Stöckl, Donat etc.);
Historiae philosophiae auctores praecipui: Ueberweg-Heinze et A. Stöckl.